

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Theologica universa - Ettenheim-Münster 108 - Tom. II

Cartier, Gallus

[S.l.], 1795

Caput 5tum

[urn:nbn:de:bsz:31-111018](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-111018)

fictō alio rerum ordine, in rem disquirere, quam ^{149.}
nunquam evenisse nequam constat, sed etiam
ultrō suppositā Adami protoparentis nostri
in bonō perseverantiā, utrum ea evenisset,
omnino ignoramus.

Ejusdem fursuris est ea, quae etiam
huc ab aliquibus movetur, an videlicet Chris-
tus principalis venerit propter originale
peccatum, quam propter actualia; et an solo
supposito originali, vel solis actualibus pec-
catis suppositis venisset Christus? Verum
ab his inutilibus et otiosis questionibus, de
quibus nihil habet Scriptura et Traditio,
provisus abstinendum judicamus. Viro Theo-
logo satis est, nosse, quod Christus venerit,
ut peccata nostra sanguine suo expiaret:
Sanguis Jeshu Christi... emundat nos ab omni
peccato, inquit S. Joannes, Ep. i. c. i. v. 7. Et
Joannes Baptista in deserto dicebat: Eccc
Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.
Joan. i. v. 29.

Caput 5^{um}

143.

De Essentiā Incarnationis.

In hujus Tractatus nostri proemio
definivimus Incarnationem, quod sit
Primum Religionis Christianae myste-
rium, quo Verbum Divinum assumpsit
naturam humanam veram et integram,
in unitatem personae, ad redimendum
genus humanum. Quā Definitione
tota illius continetur essentia seu natu-
ra, quae hinc duobus potissimum compre-
henditur, duplici scilicet naturā, Divinā
unā, alterā humanā, et una in Christo

150. Dominò personà. Quare nobis huc probanda
venit hæc nostra Incarnationis Defini-
tio, singulaque ejus partes contra toti-
dem hæreses vindicanda. quod singulis pa-
ragraphis exequimur.

144.

S. Primus.

Utrum Jesus Christus filius
Maria sit verus Deus?

Christi divinitatem negarunt,
cumque purum hominem esse dixerunt
Carpocrates, Cerinthus, Ebion, Theodorus
Byzantinus arte ciliaris, Paulus Samosa-
tenus, et alii quorum mentionem feci-
mus in nostro Tractatu de Deo Uno et
Trino, part. 2. c. 1. §. 1. pag. 328. ubi vide
contra quos sit

Conclusio.

145.

Jesus Christus Filius Mariae est ve-
rus Deus.

Prob. 1^o Ex Scriptura. Rom. c. 9.
v. 5. Ex quibus est Christus secundum carnem,
qui est super omnia Deus benedictus in sa-
cula. Philipp. 2. v. 5. Hoc sentite in vo-
bis, quod et in Christo Jesu, qui cum in
formam Dei esset, non rapinam arbitratus
est esse se aequalem Deo, sed semetipsum
exinanivit, formam servi accipiens.
Ubi per formam intelligitur natura, un-
de sensus est: Christus cum naturam
divinam haberet, non rapinam arbi-
tratus est, se facere aequalem Deo, nem-
pe cum dixit, Ego et Pater unum sumus;
sed se ipsum exinanivit assumendo natu-
ram servi, nempe humanam.

Joan. i. v. 1. In principio erat Verbum^{151.}
et Verbum erat apud Deum, et Deus erat
Verbum... Verbum caro factum est. Ergo
Verbum caro factum, est verus Deus. At
Christus est Verbum Caro, seu homo, fac-
tum. Ergo est verus Deus.

1. Joan. c. 3. v. 16. In hoc cognovi-
mus charitatem Dei, quoniam ille ani-
mam suam pro nobis posuit. Atqui
Christus animam suam pro nobis posuit.
Ergo est Deus.

Joan. 16. v. 15. Omnia quaecumque
habet Pater, mea sunt, inquit Christus ipse.
Certè qui habet omnia, quae habet verus
Deus, is est verus Deus, nam etiam ha-
bet divinitatem. Atqui Christus asserit,
se habere omnia, quae habet verus Deus.
Ergo asserit se esse verum Deum. Ergo
est verus Deus, nam ejus testimonium
verum esse fatentur ipsi haeretici.

Præterea in Scripturâ Dei attri-
buita, et opera Dei propria Christo tri-
buuntur, ut aeternitas, omnipotentia,
creatio, conservatio, &c. Joan. 17. clari-
fica me Pater apud te ipsum claritate,
quam habui, priusquam mundus esset
apud te.

Apostol. 4. Sanctus, Sanc-
tus, Sanctus Dominus Deus omnipotens,
qui erat, et qui est, et qui venturus
est.

1. Cor. 8. Unus Dominus, Jesus
Christus, per quem omnia. Joan. 1.

Omnia per ipsum facta sunt. Heb. 1.

Portans omnia verbo virtutis sue. et

Coloss. 1. Omnia in ipso constant.

152.

Prob. 2^o. Ex traditione cuius testes sunt Patres, et Concilia, quorum testimonia hanc in rem in laudato Tractatu nostro de Deo uno et trino. Part. 2. c. 1. §. 2. à pag. 359. iam adduximus, et ubi etiam his, quae huc obijci possunt, respondimus. ubi vide.

146.

§. 2^{us}

An Verbum divinum veram nobisque consubstantialem naturam humanam, corpus scilicet humanum et animam rationalem assumpserit?

Magnâ furoris insaniam veteres Haeretici in veram Christi humanitatem debachati sunt. Simon Magus, Cerdon, Marcion, Manes, Manichaei et Priscillianista docuerunt Christi corpus non fuisse verum corpus carneum, sed apparens tantum et phantasticum. Valentinus autem, Apollinaris, et Appelles asserabant, Corpus Christi à coelo delatum fuisse, formatum ex materia aëreâ vel Sydereâ, et per uterum Virginis tanquam per canalem transmissum. Aliqui vero, videlicet Apollinaris, Apollinarista, Eunomius, et Ariani dixerunt, Verbum non assumpsisse animam humanam seu rationalem, sed ipsum fuisse Christo pro animâ rationali seu mente.

147.

Conclusio.

Verbum Divinum veram nobisque consubstantialem naturam huma-

nam, corpus scilicet humanum et animam
rationalem assumpsit, quibus nempe ipsa constat.

Prob. conclusio 1^o. Quia eius, tam-
quam veri hominis, natiuitatem ex Virgine
commemorant Scripturae. Eue Virgo con-
cipiet, et pariet filium, et vocabitur no-
men eius Emmanuel, inquit Isaias c. 7. v. 14.
Cujus prophetiae complementum refert S.
Matthaeus, c. i. v. 2. et S. Lucas, c. i. v. 30. Ne ti-
meas Maria, inquit Angelus gabriel, inuenis-
ti enim gratiam apud Deum: ecce concipies
in utero et paries filium p. et v. 35. Quod
nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.
Apud S. Matth. c. i. v. 18. refertur Christi natiuitas,
Cum esset, inquit, desponsata mater eius Ma-
ria Joseph, antequam convenirent, inventa
est in utero habens de Spiritu Sancto. Et c. 2.
v. 1. Cum ergo natus esset Jesus in Bethleem Juda
in diebus Herodis Regis. Inde S. Paulus, Galat.
4. v. 4. Christum vocat, factum ex muliere; et
Hebr. 7. v. 14. Tribum designat ex qua natus est;
Manifestum est enim quod ex Juda ortus sit
Dominus noster.

2^o. Quia in Scripturis ipsius genealo-
gia tenetur, Matth. i. Luc. 3. Inde Apосто-
lus, Rom. i. v. 3. ait: Filium Dei factum esse
ex semine David secundum carnem.

3^o. Quia Christus in Scripturis seqif-
line vocatur filius hominis, filius David, ho-
mo. Joan. 8. v. 40. Nunc autem, ait Christus, que-
ritis me interficere hominem. Matth. 17. v. 21.
Filius hominis tradendus est in manus homi-
num. Et c. i. v. 1. Liber generationis Jesu Chris-
ti filii David, filii Abraham. 1. ad Tim. 2. v. 5.
Unus mediator Dei et hominum homo Christus.

154. Vocatur etiam in Scripturis, Semen mulieris,
gen. 3. v. 15. Semen Abrahae, Gen. 12. v. 3.
Filius Abrahae, Act. 3. v. 25. Filius Davidis
et fructus umbrosum ejus, Luc. 1. v. 32.

40. Quia Scripturae declarant Chris-
tum habere veram hominis naturam. Joan. 1.
v. 14. Et Verbum caro factum est. Rom. 1. v. 3.
Factus ex Semine David secundum carnem.
Philipp. 2. v. 6. Semetipsum exinanivit, for-
mam servi accipiens, in similitudinem homi-
num factus, et habitu inventus ut homo.
Heb. 2. v. 14. Quia ergo pueri communicave-
runt carni et sanguini, et ipse pariter com-
municavit eisdem. Et v. 16. Nurquam An-
gelos apprehendit, sed Semen Abrahae appre-
hendit. Denique Luc. ult. Palpate et
videte, inquit Christus de se ipso Apostolis suis,
quia Spiritus carnem et ossa non habet, si-
cut me videtis habere.

Haec Scripturae testimonia manifeste
deklarant Verbum divinum veram nobisque
consubstantialem humanitatem, solidum
corpus, veram carnem ex Maria Virgine na-
tam assumpsisse. Ea enim aliorum, quam
verum hominem designare non possunt.
Hominis enim phantastici natiuitas, fami-
lia, genealogia, tempus, ac modus nati-
uitatis tam accurate describi non utique po-
tissent. An natus ex Maria Virgine
Christus diceretur, si caro à coelo delapsa per
Mariam tanquam per merum canalem
duntaxat transisset; quid insultus?

Et de et omnes vite mortalis Christi
circumstantias. Circumciditur; à Magis
adoratur; parentibus subditus est; docet;
patrat miracula; lacrymas fundit; flagellis

B. Aaa

73

155
ceditur; cui affinis moritur. Nemo sanus
autem dicit, haec omnia totidem fuisse sensu-
um nostrorum ludificationes, et ab homine
umbratili ac phantasticis factas prestigias.
Ergo, p.

Atque haec potissimum Scriptura
testimonia Sancti Ecclesiae Patres et Docto-
res, Ignatius Ep. ad Tralitanos; Irenaeus, lib.
5. c. 1. Tertullianus, lib. 3. contra Marcion.
c. 8. et lib. De carne Christi, c. 5. et c. 20. Alci-
mus Avitus, Ep. 3. Biblioth. B. P. tom. 9. p. 568.
et alii complures adversus Manicheos, Mar-
cionitas, Apollinaristas, aliosque vere au-
lida carnis Christi oppugnatores urgebant.

Addebant et ista rationum momen-
ta. 1^o Quia, ut Scriptura testatur, Christus pro-
prio sanguine Ecclesiam adquisivit, et nos à
peccato ac demonis servitute liberavit. 2^o
Quia, ex Scriptura, est Mediator noster apud
Deum; hic autem verus homo esse debet, ut
et verus Deus: verus homo, ut possit pro nobis
intercedere; verus Deus, ut intercessionem
valorem ac pretium tribuat. Unus mediator

Dei et hominum, homo Christus, Jesus, ait
Apostolus, 1. ad Tim. 2. v. 5. 3^o Quia
Filius hic divinus, ut nos viam salutis edo-
ceret, missus fuit à Patre; divina autem
majestatis splendorem homo mortalis
sustinere non potuisset, nisi carnis indu-
mento temperatus, ac conditioni nostrae
fuisset accommodatus. Ita S. Irenaeus, lib.
5. adv. haeres. c. 1. S. Augustinus, lib. 1. De
doctrina Christiana, c. 11.

4^o Quia
Si Christus verè ac substantialiter homo
non esset, nihil foret discriminis inter

156. Inarnationem Dei novissimis temporibus
factam, et modum, quo veteribus Patri-
archis in Lege veteri apparuisse legitur.
Atqui discrimen istud exponit Apostolus,
Heb. i. v. i. his verbis: Multifariam, multis-
que modis olim Deus loquens patribus in
Prophetis, novissime, diebus istis locutus
est nobis in Filio, p. Veteribus Patriarchis
loquebatur Deus per Verbum suum nondum
carne indutum, nobis vero in carne loqui-
tur. Ita S. Irenaeus, lib. cit. 5.º Chris-
tus nos ad cruce, arumnas ac labores
huius vitae patienter tolerandos exemplo
suo imitavit et adhortatus est. atqui
nisi prior ipse arumnis ac doloribus sub-
ditus fuisset, nos seduisset, ac mendaci-
ter imposuisset nobis, nosque supra ma-
gistrum nostrum Christum essemus, qui
verè non fictè, ut Christus, patimur et
affligimur. Ergo, p. Ita S. Irenaeus l. 3. c. 20.
adversus haereses. 6.º Suprema
et increata veritas nec falli potest, nec
fallere. Atqui si Christus phantasticum
et umbratile corpus, non verum ac soli-
dum, assumpsisset, nos induisset in er-
rorem, qui tam aptè simulatà carnis
veritate, se verum hominem exterius
gessisset ac demonstrasset, qualis tamen
re ipsa non fuisset. Ergo, p. Ita S. Ire-
næus, loc. cit. Epiphanius; Augustinus,
lib. 83. q. i. 7.º Si Christus fictus
duntaxat ac phantasticus homo erat;
ergo et umbratilis et fictus Deus: neque
enim evidentius Scriptura ejus divini-

tatem designat, quam humanitatem. Ita Ter.^{157.}
tudianus, lib. 3. cont. Marcion. c. 8. 8^o

Si Christus humanitatis nostra verè ac pro-
prie particeps non fuit, neque nos divinita-
tis illius ac coelestis, quâ fruatur, gloria, par-
ticipes esse possumus; omnis enim spes ac
salus nostra in Christo capite nostro ac
sponsore, fidei auctore ac consummatore
posita est.

Concludimus cum S. Joanne
Ep. i. c. 4. v. 2. 3. Omnis Spiritus, qui confitetur
Jesum Christum in carne venisse, ex Deo
est; et omnis Spiritus, qui solvit Jesum,
ex Deo non est, et hic est Antichristus.

igitur ex Conclusionem nostrâ sequitur

1^o Verbum divinum animam et mentem
humanam sibi assumpsisse. Et verò 1^o
veram in Christo animam declarant hæc
Scriptura verba, Joan. 10. v. 15. Ego pono ani-
mam meam pro ovibus meis. Et v. 17. Ego
pono animam meam, ut iterum sumam
eam. Nemo tollit eam à me; sed ego po-
no eam à me ipso: et potestatem habeo
ponendi eam, et iterum sumendi eam.

At anima illa, quam Christus ponit pro
ovibus suis, quam nemo ab illo invito tol-
lere, quam semel dimissam sumere ite-
rum potest, hæc dubiè non est ipsamet
divinitas, quam Christus nusquam dimi-
sit. Ergò vera est quoad substantiam ani-
ma humana, mente ac ratione prædi-
ta.

2^o Scriptura anime huma-
nae veras affectiones s. detrahit omnibus
imperfektionibus, quæ nobis adhæresunt.
Christo tribuit; ergò et veram animam.
Marci, 14. v. 33. Cœpit pavere et tædere.

958. Matth. 26. v. 38. Tristis est anima mea usque ad mortem. Luc. 22. v. 15. Desiderio Desideravi hoc Pascha manducare vobiscum. Et c. 2. v. 52. Jesus proficiebat aetate et sapientia. Denique Heb. 4. v. 15. Christus tentatus dicitur per omnia pro similitudine absque peccato. Ista porro affectiones tristitia, Desiderii, doloris, in divinitatem ipsam cadere non possunt. Ergo in animam ipsam humanam cadunt. Caro enim, ait S. Leo, Serm. 8. De jejunio, sine anima nihil desiderat, et inde auipit sensus, unde hinc motus. 3^o. Faultates, quae animae humanae sunt propriae intellectum scilicet ac voluntatem Christo tribuunt Scripturae. Isai. 11. v. 2. Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiae et intellectus Spiritus consilii. Luc. 2. v. 52. Proficiebat aetate et sapientia. Colos. 2. v. 3. In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. quae certe ad intellectum pertinere omnes facile intelligunt. Et humanam in Christo fusile voluntatem declarant ea quae Luc. 22. v. 42. leguntur, Non mea voluntas, sed tua fiat. Et Joan. 6. v. 38. Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me. 4^o. Mortuum esse Christum nemo inficiatur; Joan. 19. v. 30. Inclinato capite tradidit spiritum, non divinitatis utique, haec quippe tum corpus tum animam etiam in triduo mortis non dereliquit, prout h. v. loquor dicemus. Ergo spiritus ille, quem Christus tradidit, anima ipsa est spiritualis: mors etenim in illa separatione animae a corpore posita est.

159.
149.
Communionem hanc Ecclesia fidem an-
te Apollinarem propugnauerant unanimi
Suffragio SS. Patres. S. Iustinus, Apolog. ad
Senatum, in fine. Tertullianus, lib. De carne
Christi, c. 10. et lib. De resurrectione carnis, c. 34.
Origenes, lib. 6. contra Celsum. Quamobrem
cum Apollinaris caput extulit, ad rei novita-
tem obstupuit Ecclesia, atque hereticum
simul et haereticum compressit; in Synodo Alex-
andrina, cui praerat S. Athanasius; in Syno-
do oecumenica II. Et Romanâ contra
Macedonianos et Apollinaristas congregatâ,
ubi anathema dicitur iis, qui vice animae ra-
tionalis Verbum fuisse censent assumptae
carni.

Hujus Catholici dogmatis rationes affe-
runt SS. Patres: 1^o Quia Christus fuit homo
perfectus et nobis per omnia similis absque
peccatâ. Atqui sine animâ vel mente per-
fectus non fuisset; nec enim corpore tantum
sed etiam mente constat homo, nec sine illâ
vivit aut intelligit. Ita S. Augustinus Ep. 187.
aliâ 57. ad Dardanum, n. 4. 2^o Christus
totum assumpsit, quod sanavit. Sed animam,
quam mali labe infecerat, sanavit. Ergo
hanc assumpsit. Ita S. Gregorius Nazianzenus
Ep. 1. ad Cledonium. 3^o Verbum assump-
sit carnem animâ mediante, ut his locis di-
cimus; Ergo est in Christo vera anima hu-
mana. 4^o Quia variae affectiones,
quae Christo tribuuntur, dolor, tristitia, mors,
desensus ad inferos, in solam animam cadere
possunt, non in divinitatem. Ita S. Atha-
nasius, lib. De Inarnat. et lib. De salutari
adventu Christi. 5^o Quia beneficia

100. non tribuuntur corpori, nisi animae interventu
Ergo Verbum carnem non nobilitavit, nisi
animam mediante. Ita Petrus Venerabilis lib. 2.
Ep. 1. 6.^o Quia absurdum foret, assumptum
esse à Verbo id, quod deterius est, nempe cor-
pus, relictam nobiliori parte, animam scilicet.
Ita S. Augustinus, lib. De agone Christiano c. 19.
7.^o Denique, nulla afferri potest causa et
ratio, cur Christus animam humanam assu-
mere indignatus fuerit; non quod à Deo fe-
cta non sit; Deus enim est omnium conditor.
Non quod peccato vitata non fuerit; nam
ipsa gravius vulnerata est, quam corpus, atque
meriti vel demeriti capax illa est. Non
quod carne sit vilior; nam ea longe pres-
tantior esse dignoscitur, ut quae spiritalis sit,
atque carni vitam impertiatur. Non de-
nique, quod Christus animam laeviatam
curare non potuerit, sicut corpus curavit, p.
Ita S. Fulgentius, lib. 1. ad Tras. c. 14.

150. Quoniam forte de animam Christi pra-
cise differendi non amplius occurret occasio,
praestat hic difficultatem illam, quam de illi-
us in infernum descensu movent Protestantes,
paucis enodare.

Cum enim vox Infernum in variâ signi-
ficatione usurpetur in Scriptura, aliquando
scilicet pro sepulchro, Psal. 48. v. 15. Genes. 42. v.
38. et c. 37. v. 35. aliquando pro loco damna-
torum, Luc. 16. v. 23. Num. 16. v. 33. Aliquan-
do pro acerbis et maximis doloribus, 1. Reg. c. 2. v. 6.
aliquando denique pro extrema humiliatone,
Isaia 14. v. 15. Matth. 11. v. 3. Hinc Protestantes
occasionem arripere contra Orthodoxorum men-
tem animam Christi ad infernum descensum
interpretandi; quamvis inter se non con-

151
veniant. Non una enim est inter ipsos Calvi-
nistas ratio exponendi idum animam Christi
ad inferos descensum; alii Sepulchrum illum
interpretantur, alii volunt re ipsa animam
Christi descendisse in locum damnatorum,
atque ibidem eorundem poenas sustinisse.
alii vero descensum illum explicant de su-
prema Christi exinanitione ac humiliatione
tum ratione corporis in Sepulchro detenti,
tum ratione animae, propter dolores et cru-
ciatus, quos experta est deorsu Passionis hae,
sive in Olivarum horto, sive in Pretorio, si-
ve in cruce.

Lutherani vero communiter asserunt,
Christi animam non tantum in Limbum, ut
vulgò dicitur, sed etiam in locum damnato-
rum descendisse, ut ibi victoriam suam ac
triumphum ostentaret.

151
At Orthodoxi omnes communis
Suffragio huc nomine inferni intelligunt
inferiores ac profundiores terrae partes,
quas Limbum vocamus, ad quas descendit
anima Christi post mortem, ut inde ani-
mas Patriarcharum, Prophetarum, et alio-
rum Sanctorum Veteris Testamenti, expec-
tantes beatam spem et adventum gloriae
magni Dei, erueret, ac liberaret.

Et verò descensus iste Christi ad infe-
ros praenuntiatus est in Veteri Testamento,
ac in Novo adimpletus. Ecclesiastici c. 24.
v. 45. Benetrabo omnes inferiores partes terrae,
ait Sapientia, et inspiciam omnes dormi-
entes; et illuminabo omnes sperantes in
Dominò. Prophetiae complementum
refert S. Petrus i. 3. v. 9. His, inquit, qui

162. in carcere erant, Spiritibus veniens predicavit.
Et S. Paulus, Ephes. 4. v. 9. Quod autem, ait,
ascendit, quid est, nisi quia et descendit pri-
mium ad inferiores partes terra? hoc est, in-
terprete S. Hieronymo, in infernum seu
limbum. Denique Act. 2. v. 24. Descen-
sum illum Christi non obscure indicant ista
S. Petri verba: Quem Deus suscitavit solu-
tis doloribus inferni, juxta quod impossibile
erat teneri illum ab eis. Et v. 27. istud Bla-
mi 15. Non derelinques animam meam in in-
ferno, Christo adaptat. Duo loco vox in-
ferni sepulchrum procul dubio non signi-
ficat; neque enim anima, sed solum cor-
pus jacet in sepulchro. Neque etiam de sola
resurrectione Christi, aut incorruptione car-
nis eius citata verba intelligi possunt: liqui-
dem tria haec aperte distinguit S. Petrus; re-
surrectionem, quem Deus suscitavit; in-
corruptionem, Non dabis sanctum tuum
videre corruptionem; descensum ad inferos,
Non derelinques animam meam in inferno

Huc dicit Symbolum Apostolicum,
ubi expressus ac distinctus est duplex iste
articulus, Descendit ad inferos. Resurrexit
à mortuis.

Huius Catholico dogmati consonat
universa utriusque Ecclesiae traditio: non-
numeros duntaxat ex utraque Patres et Doctores
appellamus. Ex Graecis, S. Justinum, Dial.
cum Tryphone. S. Irenaeum, lib. 4. c. 39. Ce-
mentem Alexandrinum, lib. 6. Stromat.
Athanasium, lib. De Salutari adventu Christi.
Cyrillum Hierosolymitanum, Catech. 4.
Basilius, in Conf. 48. Epiphanius, here.

164.
duntaxat rationem
proberimus.

pulturâ, et à mortuis suscitatio. Nec
ejus exinanitionem, seu incarnationem,
quæ pariter distincto articulo proponitur,
Verbum caro factum est, quando scilicet
accepit formam servi. Nec denique
dolores ac cruciatus damnatorum: tum
quia Christus descendit ad inferos post suam
passionem ac mortem, quo tempore nullis
doloribus ac infirmitatibus obnoxius erat;
tum quia disertè S. Petrus, Act. 2. v. 24.
De Christo ait: quem Deus suscitavit, solu-
tis doloribus inferni, juxta quod impossi-
bile erat teneri illum. Ergo liber fuit
Christus ab his doloribus. Ita S. Augus-
tinus, Ep. 164. alias 99. S. Fulgentius, lib.
3. ad Trasim. c. 30. Ceterum non
satis mirari possumus impietatem eorum,
qui contendunt, Christum damnatorum
cruciatus torqueri debuisse, ut plenè
pro nobis Deo Patri satisfaceret, quasi
vel unica pretiosi sanguinis ipsius gutta
omnium hominum peccatis redimendis
plusquam sufficiens non fuisset.

192.

Ergo anima Christi post ejus mortem
descendit ad inferos, scilicet ad limbum
duntaxat, ut inde veteris Testamenti
Patres educeret; nec obest, quod Luc.
23. v. 43. Christus latroni poenitenti
dixerit: Hodie mecum eris in Paradiso,
quo videtur declarari, animam Christi,
statim ac à corpore separata fuit, Para-
disum petiisse, nec in infernum descen-
dise. Namque Paradisi nomine hæc
non sedem Beatorum, ubi Deus se ipsum

clare ac intuitivè conspicendum exhibet 165.
intelligi debere dicimus, sed locum patris
ac refrigerii, quem Lybnum appella-
mus, in quem Latronis poenitentis ani-
ma descendit cum animâ Christi. Latro
igitur, ait S. Thomas, 3. part. q. 52. a. 4.
ad 3. Simul fuit cum Christo in inferno,
quoad locum; et in Paradiso, quoad præ-
mium ac refrigerium.

Verum ut ad Conclusionem nostram 153.
redeamus. Ex eâ manifestè sequitur,
Verbum Divinum verum corpus huma-
num unacum omnibus suis partibus,
etiam sanguine assumpsisse, atque sibi
hypostaticè conjunxisse. Patet enim
id ex dictis in Conclusionem. In eâ pro-
bavimus, Verbum Divinum, veram ac
nostræ similem humanitatem, verum
corpus, veramque carnem hypostaticè
sibi conjunxisse, et assumpsisse, quia
verus homo fuit, Verbum caro factum est.
Ea igitur partes omnes sibi conjunxit, quas
anima in humano corpore informat ac
vivificat, membra, ossa, carnem, sangui-
nem, p. per sanguinem Christi enim
nos redemptos fuisse Scriptura disertè de-
clarat, Ephes. 1. v. 7. Habemus redemptionem
per sanguinem ejus, remissionem pecca-
torum. 1. Pet. 1. v. 18. 19. Non corruptilibus
auro et argento redempti estis.... sed pretioso
sanguine quasi immaculati Christi. Deni-
que 1. Joan. 1. v. 7. Sanguis Jesu Christi Filii

156. ejus, emundat nos ab omni peccato. Virtus autem illa, seu pretium Sanguinis Christi, ex ipsa Verbi personâ hypostaticè humanitati sociatâ nascitur; unde constans Ecclesiæ Doctorum sententia est, vel unicâ pretiosi Sanguinis Christi guttâ universum genus humanum redimi potuisse, propter idam hypostaticam Verbi cum humanitate conjunctionem.

154. Lutherani bene multi, Jure Orientandō, ut impugnent Dogma catholicum de concomitantia naturali Sanguinis cum corpore sub specie panis, et vivissim corporis cum sanguine sub specie vini, contra Scripturæ et Traditionis auctoritatem fingere ausi sunt, Christum effusum in Bapione sanguinem resurgendo non reassumpsisse, nec eum in coelum detulisse, sed eum ibidem esse exanquem. Quia, inquit, Sanguis est necessarius tantum ad vegetandum et nutriendum corpus animale; est enim proximum ejus alimentum: Corpus autem gloriosum, quale est Corpus Christi, non est animale, sed spirituale, i. cor. 15. non est nutritioni obnoxium, sicut nec mutationi: sed est proorsus incorruptibile.

155. Verum constans est Ecclesiæ Traditio, Christum omnem effusum in Bapione sanguinem resurgendo reassumpsisse, ac in coelo etiamnum conservare. Quia Christus à mortuis suscitatus, et qualis sedet ad dexteram Patris, homo verus est ac perfectus. Ergo eas omnes retinet partes, quæ ad perfectionem et integritatem humanitatis

167.
pertinent. Similem questionem S. Augus-
tino proposuerat Consentius, utrum nunc
corpus Domini ossa et sanguinem habeat,
aut reliqua carnis lineamenta. cui res-
pondet S. Doctor, Ep. 208. alias 146. Ego Do-
mini corpus ita in coelo esse credo, ut erat
in terra.

Bonò argumentum Lutherano-
rum probat, sequeretur enim ex eo, cor-
pus gloriosum carere Stomachò et intesti-
nis, quae nutritioni subseruiunt, corde
et hepate, quibus sanguis conficitur.* Et
verò, quamvis sanguis actu non esset pars
corporis, pertinet tamen ad naturam hu-
manam constitutionem, et spiritus vita-
les et animales, subtiliores sanguinis par-
tes, sunt necessaria vite animalis instru-
menta. Hinc ergò communi Theologo-
rum axiomati insistendum: quod Verbum
semel assumpsit, nunquam dimisit.

* Quid ni dicant Novatores,
isti, Christum nudam
pellam humanam den-
tarat seum in coelum
detulisse?

Solvuntur Objectiones.

Contra positam Conclusionem.

156.
Ob. 1.^o Angelus gabriel, licet non
esset proprie vir, tamen Daniel. 9. voca-
tur vir, quia apparuit sub specie viri.
Ergò Christus dici potuit homo, quia sub spe-
cie humana visus est, licet re ipsa non esset
homo.

Resp. neg. cons. Disparitas est,
quia Christi humanitas tam clarè expri-
mitur in Scripturâ, ut vox homo ei at-
tributa intelligi non possit nisi proprie:
nempe de Christo dicitur, quod concep-
tus ac natus sit de Virgine Mariâ, quod

168. sit filius hominis, et ex semine David, quod
passus et mortuus sit. Præterea Scrip-
tura loqui debuit proprie, non figurate
in declarando Mystério Incarnationis,
quod est primarium Religionis Christia-
nae fundamentum.

157. Ob. 2^o. Apostolus 2. Cor. 5. v. 16. ait:
Itaque nos ex hoc neminem novimus Secun-
dum carnem. Et si cognovimus Secundum
carnem Christum; sed nunc jam non no-
vimus. Ergo jam saltem Christus ve-
ram non habet carnem.

Resp. neg. cons. Sensus Apostoli
est: Et si olim gloriabar, Christum car-
nali generatione esse Judæum et ex eodem
meum genere; jam nunc Christum
tantum nosse Secundum Spiritum, hoc
est, ut autorem gratiæ et salutis.

158. Ob. 3^o. Philipp. 2. v. 7. Christus fac-
tus dicitur in similitudinem hominum
et habitu inventus ut homo. Et Rom.
8. Deus Filium suum misit in simili-tudinem
carnis peccati. Sicut ergo Christus
verè peccati carnem non assumpsit, ita
neque veram et humanam carnem, sed tan-
tum externè et apparenter similem.

Resp. Neg. cons. Sensus in textu
est; Christus, qui cum in personâ Verbi esset
sua naturâ verus Deus, se ultro abiecit af-
sumendo naturam servi, factus hominibus
similis substantialiter sibi et et specifi-
cè, sicut homines dicuntur inter se similes
specie, seu naturâ humanâ, atque specie
et actionibus suis videri voluit ut homo

169.
verus, qualis re ipsa erat, quamvis tamen
simul esset verus Deus. Quare in hoc textu
forma naturam significat, et ea simili-
tudo est specifica in natura, qualis est
inter individua ejusdem speciei, non vero
simulata, et apparens tantum. Sensus
2. Si textus est, Deum misisse filium
suum in similitudinem carnis peccati,
non quod haec similitudo pura fuerit et vacua
quia re vera Christus carnem habebat, sed
quia caro ejus, tametsi re ipsa foret purissi-
ma, et ab omni vel minima peccati umbra
remota, tamen, quoad externam speciem,
videbatur caro peccati; atque re ipsa per
omnia nobis similis factus est, absque pecca-
to, quamvis poenas peccati tulerit, atque
sic in similitudinem carnis peccati in terris
apparuerit.

Ob. 4^{to} Matth. c. i. v. 20. Ange-
lus Josephum alloquens, ait quidem, in
Maria natum Christum, non vero ex Maria.
Ergo aliunde saltem adducta fuit Christi
caro in Mariam, non ex illa genita.

Confirmatur ex eo, quod Christus
ipse profiteatur Matth. 12. v. 48. Se neque
matrem neque fratres habere. Et Joan. 2.
v. 4. atque alibi, Mariam alloquens nus-
quam eam matrem suam appellat, sed
modo ac simpliciter mulierem.

Resp. ad object. neg. cons. Evan-
gelista promissive particulas in vel ex
huc usurpant; Matthaeus quidem dixit,
quod in ea; S. Lucas vero, quod ex ea na-
tum est. quae in eundem sensum rei-

170. Sunt, ac perinde significant Christum proprie et re vera ex V. Maria natum fuisse.

Ad confirmat. Cit. loc. figurate loquitur Christus, atque innuit, matrem ac fratres Spirituales, qui legem Dei religiose observant, carnalibus longe anteponendos esse, et potiori in loco apud se habendos. Unde ibid. v. 49. extendens manus in Discipulos suos subdit: Eue Mater mea et fratres mei. Iniquaque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.

Et quamvis porro Christus B. Virginem nusquam conceptis verbis matrem suam appellaverit /: ne forte, ait S. Epiphanius haer. 79. errandi occasionem aliquibus daret, atque putandi, eum more aliorum hominum ex viri consortio ex ea genitum fuisse; non obscure tamen hanc maternitatis in ea dignitatem declaravit, cum se filium hominis professus est. Aliunde vero S. Joannes clare et expresse Mariam Christi matrem appellat: Stabat inquit, juxta crucem Jesu mater ejus.... Et cum vidisset Jesus matrem p.

160. Ob. 5. to Verbum dicitur caro factum. Ergo saltem animam rationalem non assumpsit.

Resp. neg. cons. Nam, ut ex aliis Scripturae locis constat, caro hic significat hominem, per Synecdochen accepta parte pro toto, quod in Scriptura frequens est, ut genes. 6. Omnis caro corruerat viam suam. Et Luc. 3. Videbit omnis

caro salutare Dei. Porro Verbum dicitur 171.

caro factum; tum ad ostendendam veritatem Incarnationis contra Hereticos negantes verum corpus à Verbo assumptum fuisse; tum ad declarandam magnitudinem charitatis Dei erga homines, qui tam vilem carnis naturam assumpsit ad illos redimendos; tum ad indicandum, Deum suscepisse naturam possibilem cum infirmitatibus nostris.

Ob. 6^{to} Joan. 3. v. 13. Christus 161.
ait: Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo. Et c. 6. v. 41. Ego sum pateris vivus, qui de coelo descendi. Item 1. Cor. 15. v. 47. Primus homo, inquit Apostolus, de terra terrenus; secundus homo de coelo coelestis. Ergo videtur Corpus Christi de coelo delapsum esse, ac per Mariam Virginem duntaxat tanquam per canalem transmeasse: neque enim Deus, qui ut Deus ubique diffusus est, à coelo proprie descendere dici potest; unde Apostolus corpus Christi opponit terreno, quod corruptioni obnoxium est; non ita verò corpus Christi, de quo dicitur Act. 2. v. 27. Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Resp. neg. cons. Christus de coelo descendit, id est Non ratione corporis, sed divina Verbi personae, non quidem per motum localem, quasi coelum aliquando deseruerit, sed per assumptionem humanae nostrae naturae, qui mo-

172. Dus Descensus Summa est Verbi Semissio et
exinanitio. Ita S. Hilarius, lib. 10. de Trinit.

2^o. Christus à coelo descendisse dicitur
ratione causa efficientis, nimirum Spiri-
tus Sancti, cujus operatione et virtute
humanitas Christi in utero B. Virginis
concepta et formata est. 3^o. ratio-

ne conditionis vita Christi, quae tota di-
vina et coelestis fuit, propria et immata
sanctitate ac potestate, non autem ipsa
corporis conditione. Cum vero Apo-

stolus, 1. Cor. 15. Christum opponit Adamo,
oppositio non fit ratione carnis, Secun-
dum quam vocatur filius Adam, Luc. 3.
v. 38. sed ratione personae et officii; nec
inde probatur, carnem Christi à coelo des-
cendisse, sed tantum mundi et meri homi-
nes à terrâ oriundi Christo opponuntur.

Pariter corpus Christi ante mortem coe-
lestis ac immortalis corporis dotibus or-
natum non fuit, tametsi corruptionem
non senserit, quamdiu jacebat in Sepul-
chro: fieri etenim non poterat, ut cor-
pus, cui unita erat Divinitas corruptioni
aliis corporibus propria ac communi
subjaceret.

162. Ob. 7^{mo} Christus ipse carnem
despicit ac damnat. Et 1. Cor. 15. v. 50. Caro
et sanguis regnum Dei non possidebunt,
inquit Apostolus. Ergo non aliter caro
factus est dicendus, quam dicitur pro no-
bis maledictum ac peccatum; non pro-
prie subiect ac verè, sed apparenter
tantum et specie tenus.

143.
Resp. Dist. ant. Christus carnem
ipsam, id est, opera carnis, seu peccata dam-
nat, conc. Carnem, id est, substantiam
carnis, neg. ant. Ita Tertullianus lib. 5.
contra Marcion. c. 14. Inde patet, longe
dissimili ratione Christum pro nobis ma-
ledictum et peccatum factum: non quod
peccatum fecerit, qui sanctus est ac impol-
lutus, segregatus à peccatoribus; sed quod
peccati poenas à nobis, quibus debitaerant,
in se transtulerit.

Ob. 8^{vo} Christus olim veteribus
Patriarchis carne indutus apparuit, am-
bulavit, manducavit, locutus est, p. An-
geli pariter sub eo carnis velò visi sunt,
multas vitæ corporeæ et animalis opera-
tiones exeruerunt: neque tamen ex istis
eorum operationibus inferri potest,
eos veram humanitatem in unitatem
suppositi assumpfisse. Ergo pariter con-
cludi idem non potest ex operationibus
Christi, dum in terris apparuit.

Resp. neg. cons. Imò potius con-
trarium inferri debet. Cum enim Lex
vetus novæ duntaxat figura et umbra
fuerit, ut veritas figura responderet,
necesse fuit, Christum in novâ Lege ve-
ram ac solidam carnem sibi assumere,
quam in veteri fictam tantum et um-
bratilem gestaverat: Si tamen verum
est, quod nonnullis videtur, Christum
ipsum, et non potius ejus locò Angelos
in assumptis corporibus aliquando ve-

Bob. p. 100

174 teris Testamenti Patribus apparuisse, et cum
illis conversatum fuisse; At caro illa
inquit Testudianus, nondum tunc nata
erat, quia nondum tunc moritura erat?
Si autem vera caro erat, hanc per meram
et extrinsecam assistentiam movebat Deus,
non per veram sui cum illa hypostatiam
unionem.

Angeli vero, qui visibiles aliquan-
do facti sunt, vel ex aëre, aut aliâ quali-
bet materiâ compactum corpus certâ qua-
dam ratione moverunt, in quo actiones
vitæ, ut sunt loqui, ambulare, manduca-
re, &c. exercere quidem visi sunt: at vera
vitales et animales operationes non erant,
sed apparentes duntaxat et externa; pro-
ut apertè declaravit Angelus Tobie, Vi-
debar quidem, ait Tob. 12. v. 19. vobiscum
manducare et bibere; sed ego cibo invi-
libili et potu, qui ab hominibus videri
non potest, utor. At Christus pluri-
mis annis cum hominibus conversatus
est; et Scriptura multa ei attribuit, que
soli vero homini convenire possunt, ut
sunt conceptio, Nativitas ex Virgine,
manducare, sitire, Passio, Mors, et Re-
surrectio.

164. Ob. 9. nò Hoc mysterium dicitur
Incarnatio. Ergò non est inhumanatio.
Resp. neg. cons. Nam Incarnatio
hù idem est ac Inhumanatio, et signi-
ficat totius humanitatis constantis ex
animâ et corpore unitis assumptionem
à Verbo factam in Unitate personæ, ut

ex Scriptura et Traditione constat, quam^{175.}
vis hae appellatio derivetur ex carne, sed
accepta pro tota humanitate. Hinc illud
S. Augustini, Ep. 120. Mox suo Scriptura,
ut Christi humilitatem magis ostende-
ret, ne carnis nomen quasi indignum
aliquid fugisse videretur, carnem pro
homine posuit. Neque enim quia Scrip-
tum est, videbit omnis caro Salutare
Dei, anima ibi non sunt intelligenda.

S. Tertius.

165.

Utrum Verbum divinum
ex B. Virgine corpus assumpserit,
an Christus ex ea^{Seu} natus fuerit illi-
bata semper ac integra rema-
nente ipsius virginitate.

Beatae Mariae Dei genitricis Vir-
ginitas spectari potest vel ante partum,
vel in partu, vel post partum; quorum-
que autem modo spectata suos habuit
hostes. Jam primo Ecclesia saeculo 2^o Ce-
rentinus, Ebion, et Carpocrates docuerunt,
B. Virginem ex sancto Josepho Chris-
tum concepisse. Ita S. Irenaeus, lib. 1.
c. 15. Tertullianus, lib. De praescript. c.
48. et lib. De carne Christi, c. 28. referunt.

Saeculo 4^{to} Jovinianus voluit Ma-
trem Dei, licet in conceptione virgo per-
maneret, in partu integritatem amisisse.
Joviniano praiverant Tertullianus, lib. De
carne Christi, c. 23. et Origenes, Hom. 4. in
Lucam.

Durandus, quamvis Mariam in

176. partu virginem agnoscat, ejus tamen integritatem quodammodo labefactat; cum enim corporum penetrationem non putet possibilem, vult beatissimam virginem Christum effudisse partium dilata-tione absque fractura aut divisione. Hanc sententiam amplectuntur Calvinistae, eâ ratione ducti, quâ negant possibile esse Christum in Eucharistia existere sine extensione locali.

Eodem saeculo 4^{to} Helvidius docuit B. Virginem, post Christi nativitatem, ex S. Josepho filios suscepisse, ut testatur S. Hieronymus lib. contra eundem Hereticum, ubi illum facit autorem Antidivoc-marianitarum, id est, Mariae adversario-rum. quamquam Origenes, hom. 7. in Luc. et S. Hilarius, c. 1. in Matth. Helvidio anti-quiore hujus heresis meminissent. Olim-entium Helvidii errorem plures à Nova-toribus susceperunt, teste Canisio, lib. 2. de B. Maria.

Octavo saeculo fuere, qui plus aequo morosi ac quasi de potentia Dei diffiderent, ne forte Corpus Christi nisi rupto virgi-nitatis claustrò in lucem exire posset, com-menti sunt, illud ex latere B. Virginis pro-disse. Hos refellit S. Joannes Damascenus, lib. 4. c. 15. Sit

Conclusio.

166. Stat invicta catholica veritas in Concilio sexto generali, actione 11^{ma} his verbis expressa: Mariae virginitas ante partum, in partu, et post partum interherabilis.

Colz p 82

Prob. 1^a pars. Ex Scriptura. Luca 177.
i. v. 34. et 35. Quomodo fiet istud, quoniam
virum non cognosco.... Spiritus Sanctus su-
perveniet in te, et virtus Altissimi obum-
brabit tibi. Ergo non cognito viro, sed de
Spiritu Sancto B. Virgo Christum concepit.
Matth. i. v. 20. Quod in ea s. B. Virgine
natum est de Spiritu Sancto est. Hoc au-
tem, addit Evangelista v. 22. Totum factum
est, ut adimpleretur, quod dictum est
à Domino per Prophetam s. Isaiam nem-
pe c. 7. v. 14. s. Icentem: Ecce virgo in utero
habebit et pariet filium: et vocabunt
nomen eius Emmanuel, quod est interpre-
tatum, Nobiscum Deus. Hunc Isaiæ ten-
tum à contortis Iudeorum expositioni-
bus antea vindicavimus, cum de vaticiniis
Prophetarum agebamus. Denique
Matth. i. v. 18. Antequam convenirent, in-
quit de B. Virgine Evangelista, inventa
est in utero habens de Spiritu Sancto.

Prob. 2^o Ex Symbolis, Apostolicis,
in quo dicitur Christus, natus ex Maria Vir-
gine, et Constantinopolitano, in quo di-
ctum: Et incarnatus est de Spiritu Sancto,
ex Maria Virgine. Item ex Convi-
tio sexto generali supra relato, art. ii.

Prob. 3^o En constanti Traditione,
que satis colligitur ex Patribus, qui con-
tra errorem oppositum scripserunt, ut sunt
Irenæus, Tertullianus, Origenes, Ambrosius,
S. Leo, Augustinus, Hieronymus, et alii,
Angelo nuntiante, inquit S. Gregorius Ma-
gnus lib. 18. Moral. c. 52. alias 36. et Spiritu
Sancto adveniente, mox Verbum in vita-

178. r^o, mox intra uterum Verbum caro.

Prob. 4.^{to} rationibus SS. Patrum.

1^o Consentaneum maximè fuit, tempora-
lem Dei nativitatem ex uterò Virginis pe-
culiari modo, et extra legem nature con-
suetam fieri, ut verum dictu sit, genera-
tionem ejus quis enarrabit, Isai. 53. v. 8. Ita
S. Ignatius Ep. ad Ephes. S. Justinus Dial.
cum Tryphone.

2^o Sicut homo pri-
mus immediate à solo Deo proventus est,
atque Eva ex virò sine foemina prodit,
ceteri vero mortales ex consortio viri et
mulieris nascuntur, ita necesse fuit quar-
tum hyperadi nativitatis modum, ex mu-
liere scilicet sine virò, qui planè novus est
et manditus: unde merito Jeremias, c. 31. v.
22. Creavit Dominus, inquit, novum super
terram, foemina circumdabit virum, in
uterò nempe suo. Ita S. Irenæus, lib. 3.
cont. Valent. c. 26. et 29.

3^o Necesse
erat, ut Salvator, qui ut nos renovaret, in
mundum venit, ad nos novò planè et inso-
lito modo accederet. Ita Tertullianus,
lib. de carne Christi c. 17.

4^o Non
deuit, ut idem filius duos haberet patres,
aeternum unum, et temporalem alterum,
sed sicut nullam matrem habuit in coelo
quatenus Deus, ita nullum Patrem in ter-
ris habere debuit, quatenus homo. Ita
Lactantius, lib. 4. Instit.

5^o Chris-
tus, suà ex Virgine nativitate, suam
comprobare voluit infinitam potentiam
et naturam planè divinam. Ita Theo-
dotus Amyranus, Hom. i.

6^o Prob. 2.^a pars. 1^o Ex Scriptu-
rà. Virgo concipiet et pariet filium, inquit

Al 3 p 83 167.

Isaias, c. 7. v. 14. quem locum laudat S. Matth. 179.

c. 1. v. 22. Ergo non tantum concipiendo, sed
pariendo filium Maria permansit Virgo.

Prob. 2.^{do} Ex Symbolis et Conciliis
supra probatione imo partis adductis. quae
S. Mariam in partu virginem fuisse de-
clarant. Et verò Ecclesia universa pro
haereticis eos semper habuit, qui violatò
virginitatis claustrò Christum ex Maria
natum esse dixerunt.

Prob. 3.^{tiò} ex universà S. Patrum
tum Graecorum tum Latinorum traditio-
ne. quorum nominales Iustitias huc ap-
pellasse sufficiet.

S. Epiphanius haeresi 78. Quis un-
quam, ait, aut quo saeculo ausus est pro-
ferre Mariae nomen, et interrogatus non
statim intulit virginis vocem? ex ipsis
enim nominibus etiam Virginitatis si-
gna elucant.

S. Cyrillus in Concilio Ephesinò,
Mirabilem hoc s. quò nempe, claustrò nec
reserato Virginitatis claustrò, Christus ex
matris uterò prodierit. inquit, Stupidum
me reddit.

S. Augustinus, Ep. 137. aliàs 3. ad
Volusianum. Ipse, inquit, virtus per
inviolatae matris virginea viscera mem-
bra infantis eduxit, quae postea per
clausa ostia membra Iuvenis introdu-
xit. Quae verba Concilium To-
letanum II. usurpat.

S. Leo term. i. De Nativitate.
Merito igitur, inquit, virginea integri-

180. tati nihil corruptionis intulit partus salutis, quia custodia fuit pudoris editio veritatis.

S. Chrysologus, Serm. 142. Sic B. Virginem alloquitur: In tuo conceptu, in tuo partu, crevit pudor, aucta est castitas, integritas roborata.

Autor Sermo sub nomine S. Augustini, alias is. De tempore, qui à Lovanien-
sibus S. Fulgentio tribuitur. Qui disrupta,
inquit, corporum membra in altis poterat
redintegrare tangendo, quanto magis in sua
matre, quod invenit integrum, potuit non
violare nascendo? Crevit in ejus partu in-
tegritas corporis potius quam decrevit, et
virginitas ampliata est potius quam fugata.

Sacenus SS: Ambrosium Ep. 7. ad Si-
viciam Bapam, quae est Synodica Mediola-
nensis Concilii adversus Jovinianum. Et lib.
De Instit. Virginis, c. 7. Hieronymum, Com-
ment. in c. 44. Ezechiel. Joannem Damas-
cenum, De fide Orth. c. 15. et alios.

Istud vero stupendum miram-
lum duplici alio miraculo exponunt SS: Doc-
tores. Nimirum, sicut Christus clausis
jannis intravit in cubiculum, ubi congre-
gati erant Apostoli, et sicut intactis Sepulchri
Ligulis, nec fracto ac revolutis lapide, a mor-
tuis redivivus è Sepulchro exivit; ita integro
ac inviolato pudoris ac virginitatis claustris
ex utero matris in lucem emissus est.

168. Prob. 3^a pars Conclusionis 1^o ex
S. Scriptura, Luc. 1. v. 34. Quomodo fiet
istud, inquit B. Virgo ad Angelum, quoni-
am virum non cognosco? Quibus verbis suum
servanda virginitatis, quamvis jam despon-
sata S. Josepho, propositum seu votum indicat.
Neque Christus Joannem pro filio Matri

non dedisset, Joan. 19. v. 26. si haec naturales fi-
lios habuisset. 181

Prob. 2.º Ex Ecclesia Traditione et
iudicio, quae impietatem illam semper
detestata fuit. Eam Origenes, magnam
infantiam, Ambrosius, laevilegium, Gen-
nadius blasphemiam appellat. In tan-
tam, ait Origenes, Hom. 7. in Luc. nescio
quis prorupit infantiam, ut assereret nega-
tam fuisse Mariam à Salvatore, eo quod
post nativitatem illius iuncta fuerit Jo-
seph.

S. Basiliius Homilia in Sanctam
Christi generationem, alias 25. Christi aman-
tes, inquit, audire non sustinent, quod
Deipara desierit aliquando esse Virgo.

S. Epiphanius, her. 78. n. 6. scribit
eos pro haereticis haberi, qui dicerent Ma-
riam post editum Christum cum Josepho
viro suo consuetudinem habuisse, quos
Antidivomarianitas appellat, variisque
confutat momentis, isto praesertim,
quod ad haec usque tempora, nemo B. Vir-
ginem appellasset, nisi proposito Virgi-
nis nomine.

S. Ambrosius, lib. De Institut. Virg.
c. 6. Fieri non poterat, ait, ut Joseph vir
justus in hanc prorupisset amentiam,
ut matri Domini corporeo conubitu
misceretur.

S. Hieronymus ex professio contra
Helvidium ostendit, Mariam perpetuo
constantiter virginem permansisse. Na-
tum esse Deum de virgine credimus, ait,
quia legimus: Mariam nupsisse post

Col 4 p 54

partum non credimus, quia non legimus.
 Et Comment. inc. 44. Ezech. v. 2. Bulchre
 quidem, inquit, clausam portam, per
 quam solus Dominus Deus Israel ingre-
 ditur, Mariam virginem intelligunt, qua
 et ante partum, et post partum virgo
 permansit.

S. Augustinus, Tract. 10. in Joan.
 Unde, inquit, fratres Domino? Num Maria
 iterum peperit? absit. Inde cepit di-
 gnitas virginum. Ida foemina mater
 esse potuit, mulier esse non potuit.

Denique id aperte declarant, Conci-
 lia Mediolanense adversus Bonotum, in
 Epistola Synodica ad Siricium Papam, qua
 est 81^a inter Ambrosianas. Romanum
 sub Siricio Papam Ep. Synodica, qua
 inter Ambrosianas est 80^{ma} habeturque
 Tom. 1. Concil. Alterum Romanum
 Concilium sub Martino Papam, can. 3.
 Oecumenicum VI. supra citatum. Et
 generale Chalcedonense in annotatione
 ad Marianum Imperatorem asseverat,
 Virginitatem B. Mariae à Christo sacra-
 tam esse, etiam post partum, uterum
 que ejus fuisse integritate obsignatum,
 ut nullius injuria deinde pateret.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1^o cum Tertuliano, et Origene
 supra statim initio citatis, qui ex his Luc.
 2. v. 22. verbis, Postquam impleti sunt die-
 es purgationis Mariae.... tulerunt illum
 in Jerusalem, ut listerent eum Domino,
 sicut scriptum est, in Lege Domini, Quia
 omne masculinum adaperiens vulvam,
 sanctum Domino vocabitur, inferunt,

Christum ex B. Virgine reseratō virginitatis claustrō prodisse.

183.

Resp. neg. cons. Verbis citatis hoc unum duntaxat intendit S. Lucas, quod lex ferebat, omne masculinum primogenitum offerri Deo debere, quovunque tandem modo natum esset, sive ordinario, sive extraordinario et singulari. Lex autem ista concepta est verbis, quae communem spectant nascendi modum; in legibus quippe ferendis Legislator ad id attendit, quod communi ac consuetō naturae ordine contingit, non ad id, quod est singulare, et supra ordinarium naturae ordinem positum, qualis est nativitas ex virgine. Tertuliani et Originis auctoritas parum nos movere debet, quos, ut et in aliis bene multis, hic ultro deserimus.

Ob. 2. dō cum Helvidio, Matth. i. v. 18. 170-78. De Christo ait: Cum esset desponsata Mater eius Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Ergo postea saltem convenerunt, id enim denotare videtur particula antequam.

Resp. neg. cons. Verba illa, antequam convenirent, exponi debent de cohabitatione vel domiciliū, vel thori: Si prius, sensus est, Antequam Maria Joseph desponsata simul cum eo in eadem domo habitaret, nuptias brevi cum ipso celebratura, hoc temporis intervallō inventa est habens in utero de Spiritu Sancto. Huius expositioni favere videtur anxietas Josephi, qui dubitabat, an propterea Mariam in uxorem acciperet, Matth. i. v. 19. Si vero de cohabitatione thori citata

* S. Epiphanius haer.

Hic est qui verē aperuit uterum matris. verum id eo sensu intelligendum est, quod illius uterum aperuerit Iudaei foecunditatem, sicut dicitur genes. 20. vulvam claudere, qui sterilem reddit, non verō, quasi proprie et re vera Mariae claustrum virginitatis aperuisset. Solus Christus, inquit S. Hieronymus, Dial. 2. cont. Pelagium, clusas portas vulvae virgi-

184. Inc. i. Matth. Scripturam quid factum non sit / nempe
verba intedigantur, dicimus cum S. Hieronymo,
nalis aperuit, que non convenisse Mariam cum Joseph, ante-
tamen clause jurgiter quam pareret filium / aperire; non vero
permanserunt. quid postea contigerit, cum nec quaeretur,
nec esset necessarium. Quapropter falsa
est ista consequentia, Antequam Maria pare-
ret filium, non convenerat cum Joseph;
ergo postea convenit. Perinde est ac si
quis diceret: Helvidius antequam poeni-
tentiam ageret, morte preventus fuit.
Ergo postea poenitentiam egit. Quis non
videat ad tam insulsam consequentiam?
Donec dispensabatur Christi generatio, in-
quit S. Basilius, Hom. 25. De humana Chris-
ti generatione, necessaria erat virgini-
tas: quid vero postea sit factum, ad mys-
terii hujus doctrinam non ancie conjun-
gendum, est. Verumtamen nec hoc co-
rum, qui Christum amant, sustinere pos-
sunt aures, quod genitrix Dei desierit
aliquando esse virgo, has rationes suffi-
cere putamus.

171. Ob. 3^o Eodem c. 11. 25. Joseph
dicitur non cognovisse eam / Mariam /
donec peperit filium suum primo ge-
nitu. Ergo postea eam cognovit: par-
ticula quippe donec, hunc sensum pre-
ferre videtur.

Resp. neg. cons. Particula donec,
quod antea factum non sit ibi dunta-
taxat demonstrat. Sicut particula ista
donec, non semper certum ac definitum
tempus designat, sed indefinitum; nec
ita tempus procedens connotat, ut fu-

tuum etiam non respiciat. v. g. i. Cor. 15. 185
v. 25. ex Gal. 1. 10. ait Apostolus, oportet
illam / Christum / regnare, donec ponat
inimicos sub pedibus ejus. inde autem
minimè sequitur, destruendum fore re-
gnum Christi, cum sub pedibus ejus positi
fuerint ejus inimici. Similiter lib. 2.
Reg. c. 6. v. 23. legimus, Michol filia Saul
non est natus filius usque in diem mortis
sue. nemo inde inferet, natum ei fuisse
filium post mortem suam. Item Apo-
calyps. 2. v. 25. dicitur: Id, quod habetis,
tenete, donec veniam. Inde non sequi-
tur, quod illud quod habent, cum vene-
rit, dimittere debeant. Ergò pariter,
cum dicitur, antequam convenirent
in Maria et Joseph: inventa est in ute-
ro habens de Spiritu Sancto; non sequi-
tur, eos postea convenisse.

Ob. 4^{to} Christus dicitur Maria 172
filius primogenitus. Ergò Maria alios
adhuc filios habuit post Christi ortum.

Resp. neg. cons. Nam sensus est,
quod Maria neminem ante Christum
genuerit: primogenitus enim in Scriptu-
rà dicitur is omnis, ante quem nullus
natus est, quamvis sit unigenitus.
Sic Sapientia aeterna dicitur primo-
genita, licet sit unigenita; et Exodi
4. v. 22. Israël vocatur primogenitus
Dei, licet esset solus populus à Deo ele-
ctus. Et c. 13. v. 2. omnia primogenita
jubentur Deo donari, ubi certè etiam
unigenita intelliguntur; alias non re-

172 p 86

186. Dimenda fuissent, si post ea nulla proles
suscepta fuisset, quod tamen falsum esse
Lex ostendit, quâ præcipitur ea redimen-
da esse primò à partu mensæ, Num. 8. v. 18.

173. Ob. 5^{to} Matth. 13. v. 55. plures Chris-
to fratres assignantur. Ergò Maria plures
post natum Christum filios suscepit ex vi-
rò suo Joseph.

Resp. neg. cons. Nam, pro more
Scripturae, consanguinei fratres appellan-
tur. Genes. 13. Abraham nepoti suo Loth
dicebat: Nos fratres sumus. Et c. 29. v. 15.
Laban ad Jacob: Num quia frater meus es,
gratis servies mihi? Fratres igitur
Christi, consanguinei ac consobrini ejus
sunt.

174. Ob. 6^{to} B. Virgo passim mulier
vocatur. atqui hoc nomine illa insi-
gnitur, quæ ex viri consortio filios
generat. Ergò, p.

Resp. neg. min. Nam vox mul-
lier sexum duntaxat significat, non
conditionem, aut qualitatem sexus, ut
scite notat Testudianus. Sic Eva sta-
tim à suâ creatione, et antequam à
viro suo Adam cognosceretur, mulier
appellata est, Genes. 2.

175.

S. Quartus.
Utrum Christus habuerit
Corpus passibile et corruptibile?

Ariani et Apollinarista eò de-
sententia proruperunt, ut dicerent, etiam
divinitatem ipsam passam esse. Cum enim

187.
docerent, divinitatem animae seu mentis vi-
ces ac locum in Christo supplere, consequen-
ter cum doloris sensum in Christo divinitas
experiebatur, quem experta fuisset anima,
si adfuisset.

Post damnatum verò in Concilio Chal-
cedonensi an. chr. 451. Eutychem, qui univiam
in Christo naturam admittere, quâ de se suo
loco agemus, in duas praesertim sectas divi-
si sunt ejus discipuli, quarum una Corrup-
ticularum, altera Incorruptularum
dicta fuit. Petrus Craphaeus Antiochenus
Episcopus, cum anathema dixisset Concilio Chal-
cedonensi, ac Trisagio istam adjunxisset clau-
sulam, Qui passus es pro nobis, miserere no-
bis; Theopaschitarum errori ac sectae no-
men dedit; sic dicti, quod existimarent
divinitatem carni factam consubstan-
tialem verè passam fuisse. Cum verò
Petrus Mogus Sedem Alexandrinam in-
vasisset, et Chalcedonensi Concilio ana-
thema dicere cunctaretur, lapsi sunt ab eo
Eutychemiani hujus Urbis ac Regionis; inde
Acephali id est, sine capite, dicti sunt, in-
ter quos Severus Monachus Corrupticola-
rum, Julianus verò Halicarnensis Incor-
ruptularum novam sectam pepererunt.
Illi nempe corruptibilem naturam suam Chris-
ti carnem fuisse, ut quae vera caro esset,
nostraeque consubstantialis, tuebantur,
hi verò eam incorruptibilem, utpote uni-
us jam cum verbo naturae, profitebantur,
hi alio nomine Phantasiaste dicebantur,
non quod phantasticum duntaxat, et um-

Col 5057

188. bratile corpus Christo affingerent; sed quod naturales in Christo affectiones, non veras, verum apparentes duntaxat esse contenderent.

In hanc heresim Justinianus Imperator ex sua immoderata circa res fidei avaritate, et ab uxore sua Eutychiana deceptus, impiegit, licet Eutychianam heresim damnaret; voluitque ut Episcopi omnes hanc doctrinam approbarent. cuique in Orthodoxos strenue eidem hanc in re adversantes evadentes, atque in eos exili poenam esset decreturus, repentina morte sublatus est, an. 565. Superstitibusque graves de sua salute dubitandi rationes vir antea de Eulena bene meritus reliquit.

Conclusio.

176. Christus ante mortem suam habuit corpus passibile, fuitque vere doloribus obnoxius tum quoad corpus, tum quoad animam.

Prob. 1^o Ex S. Scriptura. Isaias c. i. v. 6. De Christo spiritu prophetico ait: A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Etc. 53. v. 3. Christum vocat virum dolorum, et scientem infirmitatem. Et v. 4. De eo dicit: Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et perusum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

Hujus Prophetia finem ac complementum Evangelica demonstrat historia. Accerbissima subicit tormenta passus est Christus, sive cum flagellis cadebatur, sive cum cruce affigebatur; ad qua oculos convertens, vel ipsa compellente natura, dice-

bat, Matth. 26. v. 39. Pater si possibile est,
transcat à me calix iste. Hinc ex timore tam
acerbi Supplicii, Sudor ille Sanguinis, quo to-
tus in Olivarum hortò perfusus fuit, Luc. 22.
v. 44.

Capim in mortalis vite huc cursu
varia humana infirmitatis signa et argumen-
ta vidit. Matth. 4. v. 2. post jejunium qua-
draginta dierum et noctium efuit. Joan.
4. v. 6. fatigatus ex itinere sedet ad fontem.
Luc. 19. v. 41. flevit super Jerusalem. Joan.
11. v. 33. et 35. Infremuit spiritu, et lacryma-
tus est. Marc. 14. v. 33. Coepit pavere et
tadere. Matth. 26. v. 37. Coepit contristari
et moestus esse, Tristis est anima mea us-
que ad mortem.

Heb. 4. v. 15. De Christo ait Apostolus:
Non enim habemus Pontificem qui non pos-
sit compati infirmitatibus nostris; tentatum
autem per omnia pro similitudine absque
peccato. Et c. 2. v. 17. Debuit per omnia
fratribus similiari, ut misericors fieret
et fidelis Pontifex ad Deum, ut propitia-
ret delicta populi. In eo enim, in quo pas-
sus est ipse et tentatus, potens est et eis, qui
tentantur auxiliari.

Item i. Petri
c. 4. v. 1. Christo igitur passo, inquit Apostolus,
in carne, et vos eadem cogitatione armami-
ni.

Prob. 2.º Ex Symbolis fidei et Con-
ciliis, quæ asserunt, Christum passum fuisse,
et crucifixum.

Prob. 3.º Ex S. Patribus, quos supra
S. 2.º laudavimus, ubi de verâ Christi huma-
nitate, corpore verò ac solido, non phan-

190. tactio nec umbratili egimus. hic unus sufficit
Testudiamus, lib. 3. contra Marcion. c. 8. Sic
in opinione Marcionis, inquit, nec passiones
Christi eius fidem merentur: nihil enim
passus est, qui non vere passus est. Vere au-
tem pati phantasma non potuit. Eversum
est igitur totum Dei opus; totum Christia-
ni nominis et pondus et fructus, mors Chris-
ti negatur.

Prob. 4^{to} Ratione ducta ex legibus
unionis anime et corporis, qua fit, ut, prout
in Metaphysica nostra jam exposuimus, ex cer-
tis anime cogitationibus seu perceptionibus,
certa quaedam in corpore resultet Spirituum
et Sanguinis commotio; ac vicissim, ex com-
motive corporis, certa quaedam exitetur
in anime perceptio. Mutuum istud com-
mercium impressionis anime in corpus, et
corporis in animam impedire ac suspende-
re potuisset Christus; at noluit, quia natu-
ra, quam assumpsit, legibus ea in parte se-
ipsum subicere voluit.

Item conveniens fuit et utile ad
Redemptionem hominum, et ad exemplum
patientie et fortitudinis, qua ad salutem
necessaria erat, ut Christus vere dolores sen-
sibiles experiretur. Quia hoc fuit necessa-
rium ex Decreto Divino, vi cuius Christus
debuit condigne satisfacere pro peccatis
nostriis, p.

177.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1^o Passibilitas seu receptitas sub-
iacendi humanis infirmitatibus ex peccato
ortae est; si enim Adam non peccasset, mor-

191.
tunc non fuisset, Stipendia peccati mors, Rom. 6. v. 23. Atqui nullum fuit, nec esse potuit in Christo peccatum, Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato, Heb. 4. v. 15.

Ergo Christus non fuit passibilis seu humanis infirmitatibus subiectus.

Resp. Dist. maj. Passibilitas seu necessitas subiacendi infirmitatibus orta est ex peccato in nobis, ac post lapsum Adami, qui potuisset non mori, conc. In Christo, neg. maj. Christus enim, qui naturam per peccatum laeviatam liberatoris venit, eam ipsam asumpsit, qualis fuit post peccatum, nempe infirmitatibus et doloribus obnoxiam. Sunt quidem in homine infirmitates proprii sui peccati effectus ac poena; in Christo vero effectus sunt ac poena alieni peccati, pro quo se vadem ac sponsorem dedit.

Ob. 2. Do Sapiencia 9. dicitur: Corpus 178. quod corrumpitur aggravat animam. Et Psal. 15. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Ergo Christus corruptibilis non fuit.

Resp. neg. cons. Ad innum. dicitur corruptionem, de qua loquitur Sapiens, ex peccato esse, quae tota homini peccato-ri incumbit, et animam aggravat, qualis profecto in Christo non fuit. Ad 2. Dum corruptio illa, cui tradita non fuit caro Christi, corruptio est putredinis non mortis; vere namque Corpus Christi, quamdiu jacuit in sepulchro, corruptionem non sensit.

192.
179.

Ob. 3^{to} Anima Christi statim à conceptione beata fuit, et intuitivâ Dei visione donata. Ergò implicat ut doloribus fuerit obnoxia.

Resp. neg. cons. Hoc enim non implicat, quamvis à nobis intelligi non possit. Igitur per miraculum Deus impedivit, ne anima Christi felicitas in potentias inferiores et corpus afflueret.

180.

Ob. 4^{to} Christus ex Scripturâ est novus Adam. Ergò prioris, hoc est, Adami innocentis carnem gestavit. Atqui caro Adami innocentis fuit incorruptibilis, hoc est, non erat Adams occasio doloris. Ergò, p.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia Verbum eam carnem assumpsit, quam sanavit, non verò sanavit carnem Adami innocentis; nec ergò eam assumpsit.

181.

Ob. 5^{to} Debet esse discrimen inter passiones ac infirmitates nostras, et passiones Christi. Ergò hæc in Christo debuerunt esse tantum apparentes.

Resp. neg. cons. Multiplex aliud fuit discrimen inter infirmitates nostras et infirmitates Christi. 1^o enim ex inevitabili necessitate infirmitates patimur, Christus verò carnem passibilem liberè voluit assumere. 2^o Infirmitates et passiones sunt in nobis poense peccati proprii, in Christo verò fuerunt effectus ejus in nos amoris, quo voluit eas propter nostram salutem pati. 3^o Humane affectiones in nobis sæpiissime

indeliberata sunt, et inordinata: in Christo^{193.}
autem omnes affectiones deliberata et ordina-
ta erant, necnon ab eius voluntate semper
rectissimam excitabantur et regabantur.

Ob. S^{to} S. Dionysius Alexandrinus, 182.

Ep. contra Paulum Samosatenum, docet Chris-
tum tristatum fuisse metaphorice tantum
nempe sicut de Spiritu Sancto, Ephes. 4. dicitur:
Nolite contristare Spiritum Sanctum
Dei. Ergo, p.

~~Calvinista~~
B. Cap. 89.

Resp. neg. cons. S. Dionysius loc. cit.
loquitur de Christo ut Deo, non ut homine.
Nam Samosatenus negabat Christum esse De-
um ex eo quod tristatus esset; respondet Dio-
nysius, Christum ut Deum fuisse tristatum,
sicut Spiritus Sanctus dicitur contristatus.

Inst. Idem Dionysius ibidem do-
cet Sanguinem Christi non esse corrupti-
bilem. Ergo, p.

Resp. Intelligit, non esse putredi-
ni obnoxium, vel potius hoc intelligit de
Sanguine Christi post resurrectionem con-
tra Paulum Samosatenum, qui docebat,
Sanguinem Christi in eo statu, in quo nunc
est, atque etiam in Eucharistia esse corrup-
tibilem. a

Ob. 7^{mo} Clemens Alexandrinus,^{183.}
lib. 6. Strom. De Christo ait: Ipse autem pas-
sionis erat expertus; ut quem nullus subiret
motus affectionis neque voluptas, neque do-
lor.

Resp. Hic accurate locutum non
fuisse Clementem. Sed intelligi debet de
passione et indeliberatis ac inordinatis
affectionis motibus.

Calvinista, apud
quos Christi corpus et san-
guis non nisi in figura
continetur in Eucharis-
tia, observent velim,
qua ratione in Pauli
Samosateni mentem
venire potuisset senten-
tia de corruptibilitate
Sanguinis Christi in
Eucharistia, si illi ali-
unde persuasum non

194. 184. *fuisse, Christi corpus et sanguinem eâ re-adoratione in spiritu et veritate ait. Inter- corruptibile namque est Christi corpus, et Divinam in se ipso naturam habet.*

Ob. 8. v. S. Cyrillus Alexand. lib. 9. De

Observent etiam, S. Dionysius, quod nempe Christi sanguis in figura tantum Eucharistia continetur, usum fuisse adversus Samaritanum, si credidisset eum ipsa realiter a substantia liter non contineri: eo tamen usus non est, proindeque persuasum illi fuit, Christum esse corporaliter presentem in Eucharistia.

Resp. Per incorruptibile hic intelligit immune a putredine, vel a resolutione in prima elementa, non vero incapax lesionis, passionis et doloris: nam Cyrillus sapè docet, Christum verè passum esse dolores. Igitur hic solum vult, Christi corpus hoc ipso, quod fuerit Verbo unitum, in perpetuum non potuisse definire esse per putredinem, vel resolutionem in prima elementa.

185. *Ob. 9. v. S. Maximus, Hom. 1. de Jejunio, et S. Augustinus, Tract. 49. in Joan. docent, Christum ex sola voluntate passum esse. Ergo passus non est etiam ex conditione sua carnis passibilis.*

Resp. neg. cons. Illi Patres solum volunt, Christum non ineluctabili necessitate doloribus et infirmitatibus subiectum fuisse sed necessitate, quam sibi spontè et liberè imposuit, dum naturam humanam passibilem et doloribus obnoxiam spontè ac liberè assumpsit, et in eâ liberè pati voluit ad redimendos homines.

186. *Ob. 10. v. S. Hilarius, lib. 10. de Trinitate docet, Christum non habuisse doloris sensum: In quo /: Christo: / inquit, quamvis aut ictus incidere, aut vulnus descenderet... afferent quidem hoc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferent. Idque explicat exemplis aqua, ignis, aëris, quae si resberentur, perforantur, aut dividantur, tamen non sentiunt.*

Resp. 1^o A pluribus saeculis inter catho-^{195.}
 licos agitari, quae in hac parte fuerit mens
 S. Hilarii. Erroris eum accusarunt (Claudia-
 nus Mamertus, lib. 2. De Statu animae, c. 9,
 Baronius ad an. 563. n. 4. Idem contra vin-
 dicant Lanfrancus, contra Berengarium hanc
 noxam Hilarii impingentem; Magister Sen-
 tentiarum in 3^o S. Bonaventura in
 3. dist. 16. q. 5. S. Thomas 3. part. et omnes
 passim Theologi. Alii existimant, S. Doc-
 torem invidisse quidem in hunc errorem, quem
 lubinde revocaverit, ut Guillelmus Parisiensis
 teste S. Bonaventura, ut. loc. et Octavius, lib.
 de Trinit. c. 5. Nam S. Hilarius catholicam
 veritatem clarè tradit, comment. super Psal.
 lic enim in Psal. 53. De Christo ait: Erucivit,
litivit, dormivit, lassatus fuit, moestus fuit,
et flevit, et passus et mortuus est. Ino cit. lib.
 10. de Trinitate, ex quo desumpta est objectio,
 num. 47. sic scribit: pro nobis dolet. num.
 55. flevit et doluit. num. 67. Passus qui-
dem est unigenitus Deus, quae homines pa-
tri possunt. Unde

Resp. 2^o S. Hilarium rectè secum
 ipso conciliari posse. Nam ibi agit contra
 Arianos asserentes divinitatem in Christo do-
 loribus ceterisque infirmitatibus subiectam
 fuisse, ideoque Christum etiam ut Verbum
 Patri esse inferiorem. Volunt, inquit eodem
lib. 10. de Trinit. n. 9. plerique eorum s. Ariano-
rum: non in natura cum impassibilis Dei
fuisse: ut qui timuit, et doluit, non fuerit
vel in eà potestatis securitate, quae non timet,
vel in eà Spiritus incorruptione, quae non
dolet: sed inferioris à Deo Patre naturae, et
humanae passionis trepidaverit metu, et ad
corporalis poenae congennerit atrocitatem.

in hanc...
 naturam habet
 stabile huius
 vel a resolut
 non revincat
 nam quidem
 quod fuisse
 non potest
 vel reser
 ta.
 us, hom. i. de
 aut. 29. in
 duntate passim
 atiam ex conditio
 lib. 10. de Tr
 doloris sensum
 amis aut itis in
 et... afferent
 non tamen
 Dique expliat
 es, quae si verba
 videntur, tamen

196.
187.

Inst. S. Hilarius eodem libro agit etiam de corpore Christi, quod ait naturam nostri doloris non habere. Ergo p.

Resp. Solum vult, Christum ut hominem non passum fuisse dolorem, qualem nos patimur, qui nempe à peccato est, indeliberatus, impotens, ineluctabilis, et qui mentem perturbat. Unde à Christi humanitate solum defectus et imperfectiones excludit, quae nostris doloribus ac infirmitatibus sunt communes.

188.

Solent etiam huc disquirere Theologi, an Corpus Christi decorum, an deformem fuerit? Verum, praeterquam parum interesse videatur, quidquid huc de re dicitur, nihil de eà certo definitur potest. Sive ex Scripturis, sive ex SS. Patribus, minus ex depictis, quae circumferuntur Christi imaginibus. Modo enim speciosum, modo deformem et despicabilem Scriptura exhibet, ut Psal. 44. v. 3. Speciosus forma praefiliis hominum. Isaie, 53. v. 2. Non est species ei neque decor: vidimus eum et non erat aspectus. p.

Eum formam decorum non fuisse, omnes fere Patres et Scriptores ad quatuor usque saecula testantur.

È contra verò non desunt inter SS. Patres, praesertim SS. Hieronymus, et Chrysostomus, qui existimant, Christo venustam et elegantem oris formam fuisse. Liberum proinde cuique relinimus, eam, quam maluerit, huc amplecti opinionem et sententiam.

S. Quintus.
Utrum unica sit in Christo
persona.

197.

189.

Nestorius e Syria oriundus Epis-
copus Constantinopolitanus circa annum
429. docuit Christum fuisse Templum
Dei non Deum, Hominem Deiferum
non Hominem-Deum; Virginem Mari-
am non esse Dei-param, sed solum Chris-
ti-param; unionem Verbi cum natura
humanâ factam non fuisse secundum hy-
pothesim, et ita, ut post unionem una
sit persona, quæ sit homo simul et De-
us, unus Christus, idem Deus simul et
Homo; proindeque hanc unionem non
esse physicam et substantialem, sed
solum accidentalem et moralem, sic,
ut post unionem sint due in Christo
personæ, Divina scilicet et humana,
Divina inhabitans, et humana inhabi-
tata.

Quadruplicem autem unionem mo-
ralem et accidentalem inter Verbum et
humanitatem admittebat: videlicet
unionem habitationis, quatenus Verbum
habitaret in homine tanquam in Tem-
plo; unionem amoris, quatenus homo
in Christo per gratiam sanctifican-
tem eximiam esset unum quid cum
Verbo, moraliter duntaxat, sicut duo
amici dicuntur esse quid unum; unio-
nem operationis, quatenus Verbum in

3. 91

198. Christo utebatur homine tanquam instru-
mento ad eximia opera; unionem
denique cujusdam communicationis mo-
ralis, quatenus Verbum communicabat
dignitatem et excellentiam suam homi-
ni: nam volebat, propter hanc con-
junctionem accidentalem et moralem
Christum simul cum Verbo esse adoran-
dum, conglorificandum, et Deum con-
nominandum, quamvis tamen Christus
purus homo esset. Unde iuxta Nestori-
um Verbum non fuit incarnatum nisi
secundum inhabitationem, dignitatem
et affectum voluntatis: hinc Haresiar-
cha ille Incarnationis mysterium pro-
lus evertibat. Et ita sensu Nesto-
rii patet ex eius scriptis, quae inserta
sunt Tomo 3. Conciliorum. Hanc autem
impiam doctrinam hauserat Nestorius
a Theodoro Mopsuesteno Episcopo. Et
Conclusio.

190.

Unica est in Christo persona, quae
simul est Deus et homo. Sive, quod idem
est, Verbum sic assumpsit naturam hu-
manam, ut divinitas, corpus et anima
in unam personam coalescerent.

Prob. 10^a Ex Scriptura. Rom.
9. v. 5. Ex quibus est Christus secundum
carnem, qui est super omnia Deus bene-
dictus in saecula. Ergo idem Christus,
qui est homo, est etiam Deus verus. Ergo
eadem Christi persona est Deus et homo.
Ergo in Christo est unica persona, quae

199.
Simul est Deus et Homo, atque divi-
nam simul et humanam naturam conno-
tat.

1. Joan. 3. v. 16. In hoc cognovimus
charitatem Dei, quoniam ille animam
suam pro nobis posuit. Ubi enuntiatur
de Deo, quod sit mortuus, id autem verum
esse non potest, nisi eadem persona, quae
est homo et mortem subit, sit etiam Deus;
nam pronomen ille designat personam.

Joan. i. v. 14. Verbum caro factum
est, id est, Verbum factum est homo: nam
Verbum non desit esse Deus per hoc, quod
factum sit homo.

Ibid. c. 10. v. 30. Ego et Pater unum
sumus. Ubi vox Ego demonstrat personam
loquentis, quae sibi divinitatem attribuit.
Sed persona ibi loquens est persona Chris-
ti; nam Christus ibi de se loquitur. Ergo
persona Christi sibi divinitatem attri-
buit. Ergo persona Christi est Deus. At-
qui persona Christi est etiam homo; nam
persona Christi est Christus ipse, qui est
Homo. Ergo persona Christi est simul
Deus et Homo: ac proinde in Christo ea-
dem persona est Deus et homo, et sic in
Christo unica est persona, quae simul est
Deus et homo.

Philipp. 2. v. 6. Hoc enim sentite
in vobis, quod et in Christo Iesu, qui cum
in formam Dei esset, non rapinam arbitra-
tus est, esse se aequalem Deo, sed semet-

200. ipsum exinanivit formam servi accipi-
ens, p. Ergo Verbum verus Deus scip-
sum exinanivit uniendo se naturae hu-
mana. At si unio Verbi cum humani-
tate in Christo esset tantum secundum
inhabitationem, affectum voluntatis,
et dignitatis communicationem, ideoque
solum accidentalis et moralis, illa unio si-
ci non posset exinanitio, nec esset vere In-
carnatio. Ergo haec unio non est acciden-
talis et moralis, sed est personalis, seu
facta secundum personam, ita ut ex illa
resultet una persona subsistens in duabus
naturis divina et humana, unus Christus,
qui simul est Deus et homo.

Prob. 2.^o Ex Symbolis fidei; nam
de Filio Dei unico et vero Deo dicitur in
Symbolo Apostolico, qui conceptus est de
Spiritu Sancto natus ex Maria Virgine,
passus, p. Quae omnia falsa sunt, si
eadem persona non est Deus et homo, et
si persona Verbi non est persona hominis
ex Virgine nati, passi, p.

na Item ex Symbolo, quod sub nomine
Athasii ab Ecclesia usurpatur, in quo di-
citur: Est ergo fides recta, ut credamus, et
confiteamur, quia Dominus noster Jesus
Christus Dei Filius, Deus et homo est... qui
licet Deus sit et homo, non duo tamen sed
unus est Christus... unus omnino, non con-
fusionem substantia, sed unitate personae.

Prob. 3.^o Ex Conciliis generalibus,
Nicano 1. et Constantinopolitano 1. in Sym-
bolis. Ephesino, quod ait. i. Nestorium

ut haereticum, et ejus doctrinam ut haere-^{201.}
ticam damnavit, eumque Episcopali di-
gnitate privavit. Chalcedonenſi
act. 5. ubi ait: Sequentes igitur sanctos
Patres, unum eundemque confiteri Fili-
um et Dominum nostrum Jesum Christum,
consonanter omnes docemus, eundem
perfectum in Deitate, et eundem per-
fectum in humanitate, Deum verum
et hominem verum.... ante saecula quidem
de Patre genitum secundum Deitatem, in no-
visſimis autem diebus eundem propter nos
et propter nostram salutem ex Maria Virgi-
ne Dei genitricis secundum humanitatem:
inſquam ſublata differentia naturarum
propter unionem, magisque salva proprie-
tate utriusque natura, et in unam personam
atque ſubſistentiam conuente: non in duas
personas partitum aut diviſum, ſed unum
eundemque Filium et unigenitum Deum
Verbum, Dominum Jesum Christum.

Constantinopolitanô III. act. ult. in
ſua Definitione verba Concilii Chalcedonen-
ſis citata adhibente.

Nicanô II. act. 7. ſic definiente:
Confitemur autem et Dominam noſtram
ſanctam Mariam proprie ac veraciter Dei
genitricem: quoniam peperit carne unum
ex Sanctâ Trinitate, Christum Deum nos-
trum, ſecundum quod et Ephesinum prius
dogmatizavit Concilium, quod impium
Nestorium cum collegis ſuis tanquam per-
ſonalem dualitatem introducentem ab Ecclē-
ſiâ reſtulit.

His adde Concilia Lateranenſe IV.

202. c. i. et Tridentinum Sess. 3. recipiens et confir-
mans Symbolum Constantinopolitanum,
quod in Misa legi solet.

Prob. 4^{to}. Ex unanimi Patrum con-
sensu, huc sufficient.

S. Irenaeus, Capiti 17. libri tertii
adversus haereses hunc profigit titulum: Os-
tensio quoniam unus et idem, et ipse De-
us Christus Verbum sit Dei.

S. Athanasius, Ep. ad Epictetum.
Quomodo Christiani hominis appellationem
usurpare non verentur, qui Verbum in ho-
minem sanctum perinde atque in ali-
quem Prophetarum descendisse asserunt,
et non ipsum, sumpto ex Mariâ corpo-
re, hominem factum; sed alium Christum
alium rursus esse Dei Verbum, quod ante
Mariam et saecula erat Filius Patris? Et
lib. de Incanat. Christi. In ipso nomine
i. Christi; quod unum est, utraque na-
tura significatur, et divinitatis et huma-
nitatis, ideoque Christus et Deus dicitur,
et unus est Christus.

S. Ambrosius, lib. 2. de fide, c. 4.
Unus in utraque i. divinitate et huma-
nitate; loquitur Dei Filius, quia in eodem
utraque natura est.

S. Hieronymus, Ep. ad Hebridam,
9. 9. Hac dicimus, non quod alium Deum,
alium hominem esse credamus, et duas
personas faciamus in uno Filio Dei, si-
cut nova haeresis calumniatur; sed unus
atque idem Filius Dei, et Filius hominis est.

S. 93

S. Augustinus in Enchiridio, c. 35.
Christus Jesus Dei Filius, est et Deus et ho-
mo. Deus ante omnia saecula. Homo in
nostro saeculo. Deus, quia Dei Verbum:
Homo autem, quia in unitatem personae
accepit Verbo anima rationalis et caro.

Prob. 5^{to} Rationibus Theologi-
 cis. 1^a Idem Christus à Scripturis et S.
 Patribus dicitur Deus et homo. Atqui istud
 fieri non potest, nisi propter unionem
 Substantialem et hypostaticam natura
 humana cum personâ Verbi: impossibile
 quippe est, ut dua natura formaliter
 ab invicem distincta se se invicem in con-
 uetâ predicentur, nisi uniantur in perso-
 nâ seu supposito: nunquam enim duorum,
 qui hypostasi distinguuntur, unus de altero
 predicatur, quantaunque sit inter illos
 animorum et affectuum consensus: nus-
 quam Plato, v. g. Socrates, et vicissim So-
 crates Plato proprie appellabitur.

2^a Joan. i. quod supra jam dic-
 tum, Verbum dicitur caro factum. Atqui
 non est caro factum per sui conversionem
 in carnem, quod asserere impium omnino est.
 Ergo est caro factum per assumptionem
 carnis in Verbi personam.

3^a Philipp. 2. prout supra adno-
 tavimus, dicitur: Exinanivit semetipsum,
formam servi accipiens. Atqui exinanitio
 illa conipi non potest sine unionem hypo-
 staticâ. Si enim Verbum semetipsum ex-
 inanivisse ideo diceretur, quod sit in Chris-

204. to per inhabitationem tanquam in Templo;
pari ratione Pater et Spiritus Sanctus, qui in
Sanctis inhabitant, exinaniti quoque diceren-
tur, quod quidem per se absurdissimum est.
Exinanivit ergo Verbum, quod, cum
in formâ Dei esset, formam, id est, natu-
ram Servi, in unitatem sua personae assump-
serit.

4^a. Pronomina Demonstrativa
ad personam vel hypostasium referuntur: ne-
que enim v. g. alio currente quis diceret, Ego
curro, nisi fortè figurativè, si nempe alius
in suis locis curret. Atqui ille homo, qui
dictus est Jesus Christus, de se ipso ait: Ego
sum, qui de coelo descendi. Antequam Abra-
ham fieret, ego sum. Ego et Pater unum
sumus. Exivi à Patre, et veni in mundum.
quo omnia manifestè ad divinitatem per-
tinent. Ergo homo ille Christus verè Deus
erat.

5^a. Si Christus verus non est Subs-
tantia Deus, funditus ruit Christiana Re-
ligio; et omnes, quotquot hactenus extiterunt
Christiani, idololatria rei sunt, ut pote
qui Christum tanquam Deum adoraverint,
qui tamen verus Deus non est.

6^a. Si duo sunt in Christo personae,
divina una, humana altera, quanam, qua-
se, pro nobis passa est et mortua? quanam
pro nobis satisfecit, à peccato et damnatio-
ne nos redemit, sacramenta instituit, p?
An divina? Sed hoc nec pati, nec mori, nec
pro nobis satisfacere potest. An huma-
na? verum haec, cum finita sit, pretium
infiniti valoris Deo pro nobis offerre non

potest; nec Sacramenta instituire, cum in-^{205.}
capax sit illis impetrandi vim gratie produ-
tivam. Ergo nisi in Christo adstruatur uni-
ca divina persona uno ritu unit Verbi Incar-
natio, ejus pro nobis Satisfactio, humani ge-
neris redemptio, institutio et efficacia Sa-
cramentorum; uno verbo, universa Reli-
gio Christiana funditus labefactatur ac sub-
vertitur.

7a Denique, Christus est verè Deus
et homo, ut hactenus probatum est. Ergo
Persona Christi est verè Deus et homo, nam
Christus est Persona Christi. Ergo eadem
persona in Christo est Deus et homo. Ergo
non est alia Persona Dei, et alia Persona
hominis in Christo, sed unica est. Et verò,
si alia est Persona Dei, et alia Persona
hominis, Christus non est Deus, sed purus
homo.

Solvuntur Objectiones. ^{191.}

Ob. 1^o. Moyses, Angeli, Judices ipsi
nonnunquam in Scripturis Dei appellantur,
nec tamen ulla est in illis hyprostatica unio
cum divinitate. Ergo pariter Christus dici
potest Deus, quamvis nulla sit in ipso hypro-
statica cum divinitate conjunctio.

Resp. neg. cons. Moyses, Angeli et
Judices improprie ac figuratè sensu Dei
appellantur, nempe propter singularem
autoritatem seu potestatem, quâ à Deo
donati fuerè. Inapropter postquam Judi-
ces Deos appellavit, statim addit, verum-
tamen sicut homines moriemini; quæ verba
apertè innunt, eos improprie, ac figu-

5. 94

206. rati duntaxat Deos appellari. vide dicta Tract.
De Deo, part. 2. c. 1. §. 2. pag. 372. ubi jam
huic objectioni respondimus.

192. Ob. 2^{da}. Joan. 2. Christus ait: Solite
Templum hoc, id est corpus suum seu
humanitatem. Ergo humanitas Christi Tem-
plum duntaxat est Dei. Atqui inter Tem-
plum et Deum, qui in Templo habitat, non
intercedit hypostatica unio. Ergo p.

Resp. Dist. innum. cons. Ergo huma-
nitas Christi est Templum Dei, cui Divinitas
in personâ Verbi realiter et substantialiter
conjungitur, cons. accidentaliter tan-
tum et moraliter, neg. cons. Humanitas
Christi est quidem Templum Divinitatis,
sed ita ut physicè et hypostaticè ei in per-
sonâ Verbi uniatur.

193. Ob. 3^{da}. Coloss. 2. dicitur: In ipso
Christo, habitat omnis plenitudo Divinita-
tis corporaliter. Ergo in Christo sunt duo
supposita diversa, sicut habitaculum, et
ille, qui inhabitat, p.

Resp. neg. cons. Sensus textus ad-
duti est, quod in Christo secundum huma-
nitatem spectatò omnis plenitudo Divini-
tatis inhabitet realiter et substantialiter,
per Unionem scilicet substantialem Di-
vinitatis cum humanitate in Verbi per-
sonâ. Sic anima dicitur habitare in cor-
pore, cui uniatuò substantialiter.

194. Ob. 4^{ta}. Philipp. 2. Christus dicitur
factus in similitudinem hominum,
et habitu inventus ut homo. Ergo Christus
verus homo fuit duntaxat, non simul Deus,
nec proinde cum Divinitate personaliter uniu.

Resp. neg. cons. Merito Christus dicitur ^{207.}
in similitudinem hominum factus, quia
re vera ceteris hominibus /: excepto peccato /: quan-
tum ad naturam similis fuit, iisdem infir-
mitatibus obnoxius, quibus obnoxia est hu-
manitas: vel dicitur habitu inventus ut ho-
mo, quia specie tenus velut homo purus appa-
rebat, communi ceterorum via genitus, qui
tamen verus erat Deus, in utero Virginis
virtute Spiritus Sancti conceptus.

Ob. 5^{to} Deus immortalis est ac impassibilis. Ergo Christus, qui passus est ac mortuus, ve-
rus Deus non est.

Resp. Dist. ant. Deus non homo fac-
tus impassibilis est et immortalis, conc. Homo
factus, subdist. ratione divinitatis, conc. ra-
tione humanitatis, neg. ant. Christus ratio-
ne humanitatis, quam in unitate personae
assumpsit, vere passus est ac mortuus: Verbum
suum caro factum est.

Ob. 6^{to} Si Dei filius passus ac mortuus dicitur potest. Ergo dicitur pariter poterit, Divi-
nitas passiva est, mortua, &c.

Resp. neg. cons. Ista denominationes in suppositum ipsum, seu personam
Verbi ex duabus naturis constantem cadunt,
non vero in ipsam divinam naturam.

Ob. 7^{mo} Si unica in Christo esset persona, Christus dicitur posset unus de S. Trini-
tate passus, adeoque unum de Trinitate
esse passum. Atqui Hormisdas Papa hanc
propositionem damnavit velut erroneam.
Ergo, &c.

Resp. neg. min. Hanc propositionem
enim Hormisdas nunquam erroris inculpavit,

4. 95

208. Sed tantum ut novam ac dissipiorum causam li-
centio premedam esse judicavit, repressa Mo-
nachorum Sythie temeritate ac pertinacia
qui hujusmodi loquendi formam definitioni
Concilii Chalcedonensis necessario adjiciendam
esse contendebant, quasi absque tali additio-
ne, manca illa et imperfecta foret. Ceterum
hanc loquendi rationem Ecclesia suo judicio
probavit, ac confirmavit in Concilio generali
V. Can. 4. et 5. Probavit et Joannes Papall.
Ep. ad Justinianum, in qua et Imperatorem
laudat, qui eam tuebatur, et Acemetas

6

* Sensus nempe hujus Monachos contra Sentientes condemnat.
propositionis est, 198.

quod unus de Trini-
tate in nostra mor-
tali carne passus sit,
non vero in Deitate.

Ob. 8.º Aligui Patres dicunt, 1.º huma-
nitatem instrumentum esse Divinitatis.
2.º Verbum assumpsisse hominem. 3.º
S. Basilius, in Epist. 89. vocat Christum Deife-
rum. Ergo, p.

Resp. neg. cons. ad idem humani-
tas Christi vocatur instrumentum Divinitatis,
sed conjunctum conjunctione Substantiali,
ex qua resultat Unitas personae in duabus na-
turis. Sic corpus est instrumentum anime
eidem Substantialiter unitum, nec aliud ab
ea suppositum habens. ad 2.º Dum

Patres improprie locuti sunt, accipiendo con-
cretum pro abstracto, ac per hominem intel-
ligendo humanitatem: constat enim hos
Patres unicum in Christo admisisse Personam.

ad 3.º S. Basilius non Christum, sed
Christi carnem vocat Deiferam, quia nempe
re ipsa Dei propria est, propter unionem
personalem inter ipsam et Deum Verbum.

199. Ob. 9.º Quia SS. Patres Verbum
assumpsit omnes perfectiones naturales homi-
nis, excepto peccato, Ergo et personam.

Resp. Dist. Ant. Assumptio omnes per^{209.}
fectiones naturales pertinentes ad naturam
humanam, conc. Personalitatem, neg. ant.
Personalitas humana non est perfectio se-
cundum se, cum consistat in negatione unio-
nis substantialis cum alio perfectione.

Inst. 1.^o Verbum incarnatum est
perfectus homo. Ergo etiam habet perfec-
tiones ad personam humanam pertinentes.

Resp. neg. cons. Ut Verbum incarna-
tum sit perfectus homo, sufficit, quod huma-
nitas ab illo assumpta habeat omnes per-
fectiones ad naturam humanam pertinen-
tes.

Inst. 2.^o Si ita est, humanitas Chris-
ti erit in statu violento.

Resp. neg. Nam longe melius est
humanitati Christi esse naturam Personae
Divinae unitam, quam habere propriam
personalitatem, ultimo compleri per
Verbum infinite perfectum, quam per se
ipsam, Subsistere in Verbo, quam Subsistere
in se ipsa. Quia infinite perficitur per hoc,
quod est natura Personae Divinae: nam hoc ipso,
quod Verbum sit persona natura humana,
est quoddam eius complementum substantia-
le, scilicet omni imperfectione ex parte
Verbi.

Ob. 10.^{mo} Christus vocatur à S. Atha 200.
nario in expositione fidei, homo Deifica-
tus. Et à S. Augustino, lib. 23. quest. 9. 36.
homo Dominicus. Ergo p.

Resp. neg. cons. Haec voces, quae à
Nestorio in pravo sensu adhibebantur, im-
proprie et in bono sensu ab illis Patribus
usurpatae sunt: nempe per illas intelli-

8. 96

210. gunt, Christum non per naturam humanam, sed per unionem hypostaticam Verbi cum humanitate esse Deum, et Dominum. Nam ex aliis textibus constat, hos et alios Patres agnovisse Divinitatem Christi, et Unitatem ejus Personae.

201. Ob. ij. mo S. Chrysostomus, Hom. 3. ad cap. i. Ep. ad Hebraeos, sic ait: hic et Judaeos, et Pauli Samosatemi Apeclas, et Arianos.... scribit /: Apostolus /: et Mariionem. Quomodo? Judaeos quidem, ostendens duas personas, et Deum et hominem.... adversus Marcellum autem et alios, quod sint duas personas Divise per hypostasim. Inibus verbis duas in Christo personas disertè agnosere videtur. Ergo.

Resp. neg. ant. Haec voces duas personas, et duas personas dicuntur, non de Christo, sed de Patre et Filio: nam S. Doctor ibi probat Patrem et Filium esse duas personas realiter distinctas, quae tamen sunt idem Deus. Aliqui putant voce persona ibi significari naturam seu essentiam, non personam proprie ac strictè sumptam. Sixtus Senensis vero lib. 6. Bibl. Sanctae annotat. 329. ait, hunc locum in graecis Codicibus depravatum esse, ac pro eo, quod in eis scriptum est, Deum et hominem, legendum fore Deum et Deum, geminamque affect hujus depravationis rationem, i. quia Theophilactus haec eadem Chrysostomi verba referens, omis-
sa hominis mentione, et Dei nomine bis posito sic scribit: Hoc adversus Judaeos, et Sabellium et Marcellum pugnat, tanquam duas personas indicans, Deum et Deum. 2. quia complicatio particulae Dei aptissime

congruit cum proposita Pauli sententia, in²¹¹
quâ geminato Dei nomine dicitur, Unus te
Deus, Deus tuus, ad expressionem scilicet dua-
rum personarum, reclamantibus Judæis,
Sabellio et Marcedo, qui unam tantum Dei-
tatis personam agnoscunt. Addit idem
Sicutus Senensis, quod, si quis urgeat, lectionem
græcorum codicum esse integram, et legen-
dum esse duas personas, Deum et hominem,
non multum repugnaturus sit, modo per ho-
minem Christi simul et hominis personam
significari intelligamus; per Deum vero
personam Patris, aut Spiritus sancti. Cer-
tum porro est, S. Chrysostomum docuisse,
Christum esse verum Deum et verum homi-
nem, nec in illo duas personas strictè ac pro-
prie sumptas admisisse. prout inter plura
alia ejus loca patet ex Ep. ad Cesarium Mo-
nachum, ubi, Et si, inquit, Duplex s. in Christo,
natura, verumtamen indivisibilis et indif-
ferabilis unitio, in unâ filiationis confi-
tenda personâ et unâ substantiâ.

Ob. 12^{mo}. Persona est Substantia sin-
gularis et individua. Atqui humanitas Chris-
ti talis est. Ergo est persona.

Resp. neg. maj. Nam ad personam
requiritur insuper, ut Substantia singularis
et individua, et completa in ratione natu-
ra in se sistat, siquæ per se ultimo com-
pleta et in se terminata sit totum sui ju-
ris. Humanitas autem Christi talis non
est; nam per Verbum ultimo completur
in verbo subsistit, non est sui juris sed Verbi,
ut potè perfectioris; non est sua sed Verbi.
natura enim sua non est, sed persona, cujus

212. est natura; totum quod est, Verbi est, non sui, nam totum quod est natura, non ipsius natura, sed persona est, cuius est natura: persona enim habet, et natura habetur. Quare humanitas Christi unilatennis est Substantia per se tota, nec totum aliquod sui juris, sed se habet ad modum partis.

Inst. 1^o. Humanitas Christi est per se completa. Ergo est Substantia per se tota, p.

Resp. Dist. ant. Humanitas Christi est completa in ratione naturae, cons. In ratione personae, neg. ant. et cons. Humanitas Christi subsistit in Verbo, non in se, et se habet per modum partis, ideoque non est Substantia tota per se.

Inst. 2^o. Persona definitur à Boëtio natura intellectualis individua Substantia.

Ergo, p.

Resp. neg. cons. Vox Substantia à Boëtio hic sumitur pro Substantiâ completâ et ultimò terminatâ, quae sit totum aliquod sui juris. Itaque persona proprie est Substantia intellectualis, per se totalis, ultimò completa et terminata. Natura autem humana Christi talis non est. Nam neque est Substantia totalis seu totum sui juris, existens ut quod suum et propter se, cum sit tota Verbi, cui subordinatur ut principiori et digniori, et se habeat ad modum partis; neque est per se ultimò completa ac terminata: nam ulterius completur Substantialiter à Verbo per sui unionem Substantialem cum illo, et terminatur ac sistit in Verbo non in se.

203.

Ob. 13^{ti}o Unitas persona Divina est prior unione, cum sit ab aeternò. Ergo ex unione humanitatis cum Verbo non resultat unitas persona; alias eadem persona erit aeterna simul et temporanea, quod implicat.

B. D. D. D.

97

213.
Resp. Dist. ant. Unitas personae divi-
nae ut subsistentis in sola natura divina est
prior unionem, conc. Unitas personae divinae
ut subsistentis in duabus naturis est prior
unionem humanitatis cum verbo, neg. ant.
Per unionem hypostaticam seu personalem
verbi cum humanitate factum est, ut perso-
nae divinae verbi, quae una erat in unica na-
tura, sit una in duabus naturis.

Ob. 14^{to} De eodem supposito verè 204.
dici non possunt contraria. Atqui de Chris-
to multa dicuntur contraria. Ergo, p.

Resp. Dist. Maj. De eodem supposito
verè dici non possunt contraria ratione ejus-
dem naturae, conc. Ratione diversarum na-
turarum, neg. maj. Christus duas habet na-
turas diversas, distinctas et integras, secundum
quas de illo predicari possunt contraria, ut
quod fuerit mortalis et immortalis, passibilis
et impassibilis, quod sit Deus et Homo, p.

Ob. 15^{to} Filius Dei non potuit genera- 205.
ri à B. Virgine, cum sit ab aeterno. Ergo Filius
Mariae non est Filius naturalis Dei.

Resp. Dist. ant. Filius Dei non po-
tuit generari à B. Virgine ut Deus est, conc.
ut homo est, neg. ant. et cons. Ut B. Virgo
sit Mater Dei et verè dicatur genuisse Deum
et Filium Dei, non necesse est, ut Verbi perso-
nalitatem vel divinitatem genuerit, sed la-
tis est, ut natura, quam generavit, fuerit
in instanti generationis assumpta à verbo
per unionem substantialem ac personalem:
nam vi hujus assumptionis terminus adae-
quatus ex eius generatione resultans est Homo-
Deus, Filius Dei verus Deus et Homo. Sic
alia foemina, quamvis animam rationalem
hominis constitutivam non generent, verè

214. tamen dicuntur et sunt matres hominis, quia
sibi et terminus adequatus generationis est
homo. In eademmodum igitur, ut mulier di-
catur Mater hominis, sufficit, ut generet
corpus, quod anima unitum est terminus
totalis generationis: sic, ut B. Virgo vere
dicatur et sit Mater Dei, sufficit, quod ge-
neret corpus, quod unitum anima consti-
tuit hominem, et ille homo eodem instanti
uniatur personaliter Filio Dei, vero Deo: nam
tunc totalis terminus generationis est Ho-
mo Deus, Deus Homo.

Inst. 1^o. B. Virgo nusquam in Scrip-
turis dicitur Mater Dei. Ergo, p.

2. 98
Resp. Dicitur Mater Dei saltem agni-
valenter et implicite, cum dicitur genuisse
Iosum, quem Scriptura aperit esse Deum.
Matth. 1. Jacob autem genuit Joseph virum
Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur
Christus. Et Luc. 1. Angelus Mariae dixit: Ecce
concipies in utero, et paries Filium, et vo-
cabis nomen eius Jesus: hic erit magnus,
et Filius Altissimi vocabitur. Jo. 1. Eli-
sabeth repleta Spiritu Sancto dixit: Unde
hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei
ad me. Porro quamvis B. Virgo sit
vere et proprie Mater Dei, eo quod eum
genuerit, qui est Dei Filius naturalis
et verus Deus; tamen dici non debet causa
Dei, quia causa strictè sumpta significat
generalem causabilitatem illius totius, cuius di-
citur causa. Vox autem Mater significat
solum causalitatem corporis humani, et unio-
nis ejus cum anima.

Inst. 2^o. B. Virgo dici non potest mater
Verbi Divini. Ergo nec filii Dei.

215.
Resp. neg. cons. Disparitas est, quia per
Verbum Divinum intelligitur terminus genera-
tionis aeternae in Sinu Patris: at per filium
intelligitur terminus tum aeternae, tum tem-
poralis generationis in utero Mariae Virginis.

Inst. 3^o. B. Virgo non est consubstan-
tialis Filio Dei. Ergo nec Mater eius.

Resp. Dist. ant. Non est consubstan-
tialis Filio Dei secundum naturam Divinam,
et ut Deus est, cons. secundum naturam hu-
manam, et ut homo est, neg. ant. Unde est
Mater Filii naturalis Dei, non ut Deus est,
sed ut homo est. Hinc etiam Filius Dei est
Filius Mariae non ratione divinitatis, sed ra-
tione humanitatis verbo personaliter unitae.

Inst. 4^o. Nomen Deus absolute po-
situm significat Deum ut communem tri-
bus personis. Atqui B. Virgo non genuit
Deum ut communem tribus Personis: non
enim genuit Patrem et Spiritum Sanctum.
Ergo Dei non debet simpliciter Mater Dei.

Resp. Dist. maj. Si vox Deus non
aliunde determinetur ad aliquam personam,
cons. si aliunde determinetur ad unam
personam, neg. maj. Quando B. Virgo di-
citur Mater Dei; haec vox Deus satis ex-
mente Ecclesiae determinatur ad Filium, seu
secundam personam. Et verò in Scriptura
nomen Dei absolute positum tribuitur ei,
qui mortuus est, justa illud, i. Joan. 3. In
hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam
ille animam suam pro nobis posuit. Et
illud Pauli, act. 20. Spiritus Sanctus posuit
Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acqui-
revit sanguine suo. Ergo eadem vox
absolute et simpliciter tribui etiam po-

216. texti, qui de Virgine natus est, cum ejusdem
sit natus et mori.

Inst. 5^o. B. Virgo generavit verum
hominem. Ergo p.

Resp. Generavit verum et perfectum
hominem Subsistentem Subsistentiâ Ver-
bi, non verò Subsistentiâ propriâ, unde
neg. cons.

206. Ob. 15^{to} S. Hilarius lib. 10. de Trinit.

n. 16. ait: Corpori Christi Mariam origi-
nem non dedit. Ergo si Maria corpori
Christi originem non dedit, Dei mater
dici non potest.

Resp. hoc ipso argumento, si quid
valet, ostendi, Mariam ne quidem Chris-
ti matrem dici posse, si quidem corpori Chris-
ti originem non dedit. Mens igitur et
sententia S. Hilarii hæc est, Mariam cor-
pus Christi ceterorum hominum more, ex
conmercio viri cum muliere non genuisse
sed operante Spiritu sancto, et carnem Chris-
ti e purissimo B. Virginis sanguine effor-
mante. Virgo, inquit ibid n. 15. non nisi
ex suo Spiritu sancto genuit quod genuit.
Et quamvis tantum ad nativitatem carnis
ex se daret, quantum ex se foemina eden-
torum corporum susceptis originibus im-
penderent, non tamen Jesus Christus per
humane conceptionis coabit naturam.

S. Sextus.

207.

Utrum in Christo sint
duæ nature integra et distincta?

Entycheus Presbyter et Archi-
mandrita, seu Abbas celeberrimi Mo-

3. 99

217.
nasterii Constantinopolitani, dum Nesto-
rianos acius infectaretur, ex imperitia
potius, quam ex malitia incidit in erro-
rem oppositum, qui à suo nomine here-
sis Eutyhiana dictus est. Hic asseruit,
unicam esse in Christo naturam post uni-
onem, sicut unica est persona, ut cons-
tat ex actis Concilii Constantinopolitani
an. 448. Sub Flaviano ejusdem civitatis Epis-
copo, in quo primum damnatus est Euty-
ches, et ex Epistola ejusdem Flaviani ad S.
Leonem Papam, in qua asserit, Eutychem
dixisse, ante Incarnationem quidem Sal-
vatoris nostri Jesu Christi, duas naturas
esse divinitatis et humanitatis: post uni-
tionem vero unam naturam factam.

Verum cum patrum ipsius multa
contra hanc Flaviani Synodum objicientes
non quiescerent, indictum est Concilium
generale Ephesi celebrandum an. 449. In
eo factione Dioscori Episcopi Alexandri-
ni Sancti Cyrilli Successoris et Eutyhis ami-
ci jus omne sic violatum est, ut meri-
to Latrocinium vocatum fuerit; Legati
Summi Pontificis non modo non auditi,
sed et expulsi, Flavianus Sedem Aposto-
licam appellans truncatus, Eutychesque
in integrum restitutus, ipsiusque heresis
confirmata.

Quibus auditis S. Leo Papa Coni-
liabuli hujus acta rescripsit, Dioscorum dam-
navit, qui et ipse contra Summum Pon-
tificem excommunicationis sententiam
profere ausus est. Verum paulo post,
anno scilicet 451. Chalcedone celebratur
Concilium IV. Oecumenicum, in quo legati

218. S. Leonis papae president, abrogatur Latrocinium Ephesinum, aperitur duplex in Christo natura; Eutyches ob haeresim damnatur, Dioscorus omni dignitate exiit, p.

Non constat, quo sensu Eutyches intellexerit, duas naturas in unam coaluisse, an scilicet per conversionem unius in aliam, an per consumptionem unius ab alia, an per compositionem, an per confusionem aut mixtionem. Sed parvi refert, quid haec in re senserit imperitissimus et impudentissimus Senex, ut cum S. Leo vocat, praesertim cum Fides Catholica omnem hanc unitatem repudiet.

De hujus heresis sectatoribus, jam supra S. 4. num. 175. egimus, quibus addimus hanc Jacobitas, à Jacobo quodam natione Syro, qui in eunte sexto saeculo vixit, huc dicti, quibus septimo saeculo omnes Eutychianorum secta se se adjunxerunt. Sit

208.

Conclusio.

In Christo sunt post unionem duae naturae integrae, distinctae, et inconfusae, nempe Divina et Humana, ac proinde unio Verbi Divini non est facta in natura, sed immediate in personalitate Verbi.

Prob. 1^o Ex Scriptura. Joan. i. v. 14. Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Caro autem factum est non conversione Divinitatis in carnem, nihil enim insulsius cogitari posset; sed assumptione humanitatis in Deum, per quam habitavit in nobis, per omnia similis nobis absque peccato.

i. Joan. i. v. i. Quod fuit ab initio, quod audivimus oculis nostris, quod perspexi-

mus, et manus nostrae contractaverunt de 219.
Verbo vita. Duplex huius Christi natura dis-
tinguitur: Divina, de Verbo vita; humana,
quae oculis visa est, manibus attritata, p.

Philip. 2. v. 6. Qui cum in formam
Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse
se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit
formam servi accipiens, in similitudinem
hominum factus. Ubi exprimitur duplex
in Christo forma seu natura, nempe Dei,
et servi seu hominis, non confusa et per-
mixta, sed integra et distincta.

Adde ea Scripturae loca, quibus
contra Nestorium S. praecedenti probavi-
mus, Christum esse verum Deum et ve-
rum hominem. Nam Christus non potest
esse verus Deus et verus homo, nisi habeat
duas simul naturas Divinam et huma-
nam, omnino integras, distinctas et in-
confusas.

Prob. 2.º Ex Concilio. Nicaeno I.
generali. In Symbolo Fidei, postquam
divinitatem Filii asseruit, de suscepta
hominis naturam ait: Qui propter nos ho-
mines, et propter nostram salutem des-
cendit, et incarnatus est, et homo factus
est.

Constantinopolitano sub Flaviana-
no, an. 449. Confitemur, inquit ibidem
Patres, ex duabus naturis Christum esse
post incarnationem in unam subsistentiam
et in unam personam, unum Christum fi-
lium, unum Dominum confitentes.

Constantinopolitano alio, an. 450.
ubi Anatolius Constantinopolitanus ali-
que Patres dicto anathemate Nestorio

4.100

220. et Eutychi, ajunt: Catholica Fides et ante
Incarnationem unam tantum Verbi fuisse,
et post Incarnationem duas, id est,
Verbi et perfecti hominis, fatetur in una
persona, inconfusa proprietate huius mane-
re naturas.

Chalcedonensi, an. 451. art. 5.
in Definitione Fidei. ubi sic ait: Sequen-
tes igitur Sanctos Patres, unum eundem-
que confiteri Filium et Dominum nos-
trum Jesum Christum consonanter om-
nes docemus, eundem perfectum in Deita-
te, et eundem perfectum in humanitate,
Deum verum et hominem verum, eum-
dem ex anima rationali et corpore, con-
Substantialem Patri secundum Deitatem,
consubstantialem nobis secundum
humanitatem: ante secula quidem de Pa-
tre genitum secundum Deitatem, in no-
visimis autem diebus eundem propter
nos et propter nostram salutem ex Ma-
ria Virgine Dei genitricis secundum hu-
manitatem, unum eundemque Chris-
tum, Filium, Dominum, Unigenitum,
in duabus naturis inconfuse: immutabi-
liter, indivise, inseparabiliter agnos-
centium: nunquam sublata differentia
naturarum propter unionem, magis-
que salva proprietate utriusque nature,
et in unam personam atque subsisten-
tiam conuente.

Huius Definitioni adde Epistolam
dogmaticam S. Leonis Papae ad Flavianum,
in qua Incarnationis mysterium egregie

exponit, et duas in Christo naturas distinctas ^{221.}
et inconfusas esse definit, ac fuse probat:
quã quidem in Concilio Chalcedonensi
lectã, sic acclamatum est ab omnibus
Episcopis, qui fuerunt sexenti et trigin-
ta: Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum
fides; omnes ita credimus, orthodoxi
ita credunt. Anathema ei, qui ita non
credit. Petrus per Leonem contus est.

Ex Constantinopolitano II.* can. 8.
ubi, si quis, inquit Patres, ex duabus na-
turis Deitatis et humanitatis, confitens uni-
tatem factam esse, vel unam naturam Dei
verbi incarnatam dicens, non sic ea exiit,
sicut Patres docuerunt, quod ex divinã na-
tura et humana, unitione secundum sub-
sistentiam factã, unus Christus effectus est,
sed ex talibus vocibus unam naturam sive
substantiam Deitatis et carnis Christi intro-
ducere conatur; talis anathema sit.

Ex Constantinopolitano III.* Quod
in fidei definitione Verba Synodi Chalcedo-
nensis modo citata usurpat.

Ex Concilio Niceno II.* Quod pariter in
definitione fidei ait: Duas naturas confite-
mur ejus, qui incarnatus est propter nos ex
intemeratã Dei genitrice semper Virgine Ma-
ria, perfectum enim Deum, et perfectum
hominem cognoscentes.

Prob. 3^{to} Ex SS. Patribus. Proom-
nibus sint, S. Athanasius, lib. de Incarnat.
ubi ait: Appellabitur perfectus Deus, et
perfectus homo Christus.... secundum ratio-
nem existendi sine defectu plenam et

* an. 553. Sub Vigiliõ
Papã pro decidenda
celebri lita de tribus Ca-
pitulis p. celebratum
fuit.

250. 101

* an. 681. Sub Agatha
ne Papã contra Mo-
nothelitas coactum est.

* an. 787. Sub Adriano
Papã pro restituendo
sacrarum imaginum
cultu contra Icono-
machos.

integram, ut unus sit utroque per omnia
idem et Deus et Homo.

S. Ambrosius, lib. 2. De fide, c. 4. Ser-
venus, inquit, distinctionem divinitatis et
carnis. Unus in utraque loquitur Dei Filius,
quia in eodem utraque natura est. Etsi idem
loquitur, non uno semper loquitur modo.
Quasi Deus loquitur, quae sunt divina, quia
Verbum est: quasi homo dixit, quae sunt hu-
mana, quia in mea substantia loquebatur.

S. Augustinus, tract. 78. in Joan. Quid
igitur haeretice, ait, cum Christus sit Deus
et Homo, loquitur ut Homo, et calumniaris
Deo? Ide in te naturam commendat huma-
nam, tu in illo audes deformare divinam?

S. Cyrilus Alexand. lib. De Incarnat.
c. 12. Unus igitur est et ante Incarnatio-
nem Deus verus, et qui in humanitate re-
mansit id, quod erat, et est, et erit. Non
discernendum igitur unum Dominum
Jesus Christum in hominem seorsum, et
seorsum in Deum, sed unum eundem-
que Jesus Christum esse dicimus, non igno-
rantes differentiam naturarum, sed eas in-
confusas inter se servantes. Item Ep. ad Joan-
nem Antiochenum, quo incipit, Latentur
Caeli, eadem habet.

Vide Concilium Chalcedonense, act. 2.
ubi plura S. Patrum, qui illius definitionem
jam ante praeformaverant, testimonia refe-
rentur.

Prob. 4^{to} variis rationibus Theolo-
gicis. 1^a Ex Scriptura, Patribus, et Conciliis
Christus est verus ac perfectus Deus, verus ac
perfectus homo. Sed talis non esset, nisi ha-

223.
bet duas naturas integras distinctas, et in-
confusas, divinam scilicet et humanam; nam
ille verus est Deus, qui habet naturam divi-
nam, integram et inconfusam; et ille est ve-
rus homo, qui habet naturam humanam
integram, distinctam et inconfusam, ut per
se patet. Ergo Christus habet duas naturas
integras, distinctas, et inconfusas, divinam
scilicet et humanam.

2^a. Si ex duabus naturis unica in Chris-
to facta est, nec humana illa esset, nec di-
vina; adeoque Christus nec Deus esset, nec ho-
mo; nec patri nec matri consubstantialis.

3^a. Naturae uni ac simplici contraria
proprietates non conveniunt, cuiusmodi sunt
in Christo possibile esse v. g. et impossibile,
mortalem et immortalem. Haec quidem de
uno et eodem Christi supposito in concreto,
ut ajunt, recte predicantur, ob diversas, qui-
bus constat, naturas: at si una supponatur,
in eam cadunt adeo contraria et opposita
proprietates; et ita divinitas passa esse dicen-
da erit, sicut re ipsa dicere compulsi sunt Euty-
chiani, Theopaschite inde dicti; quo certe
nihil absurdius exogitari potest. Ergo, p.

4^a. Funditus vult divina dispen-
sationis ac reparationis humanae mysterium,
nisi duae sint in Christo distinctae naturae, qua-
rum una, humana scilicet, satisfactionis
materiam, altera vero, nempe divinitas, pre-
tium ac valorem infinitum communicet.

5^a. Ex duobus unum fieri non potest,
nisi aliquo ex his modis: vel ex duobus inte-
gris ac perfectis remanentibus; vel ex duo-
bus perfectis permixtis ac permutatis; vel

6102

224. Denique ex duobus imperfectis in unum coalescentibus. Atqui nullo ex his modis facta dici potest in Christo naturarum unio. Non 1^{mo} tum quia totum ex duobus integris perfectis remanentibus, non est totum per se, sed per accidens, et forma in hujusmodi toto non est natura sed ars, ut patet in constructione alicujus aedificii: porro Christus non est totum per accidens et ex arte, sed per se a natura et substantia. Tum quia totum ex duobus integris perfectis remanentibus, totum non est absolute et simpliciter sed secundum quid, et in duo potest equaliter dividi. Atqui Christus unus est simpliciter, in duos non partitus nec divisus. Ergo, p.

Non 2^{do} tum quia divinitas, quo purissima est, simplicissima, et immutabilis, permisceri cum alia natura, aut in aliam transire ac mutari non potest; vel una divinitatis idea et notio id evincit. Tum quia humanitas nunquam in divinitatem converti potest, utpote a qua infinito distat intervallum. Tum, quia post illam conversionem humanitatis in divinitatem corpus Christi verum non esset et nostro simile, sed phantasticum et umbratile, ut contendebant Manichei. Tum denique, quia ex his, quorum unum altero longe prestantius et excellentius est, mixtio proprie fieri non potest, solvitur quippe unius eorum species: v. g. si quis paululum mellis in fluvium injiciat, vera non est mellis mixtio, sed potius corruptio; et lignum in ignem immixtum non dicitur cum igne misceri, sed ab igne consumi ac destrui. Atqui natura

225.
Divina infinite superat humanam, et proprie cum ipsa in Christo non permiscetur, sed tota penitus absorpta foret et destruita.

Non 3^{to} denique modo: quod enim fit ex duobus imperfectis, vel fit tanquam corpus ex pluribus partibus quantitativis, vel tanquam ex materia et forma. Atqui neutro modo connumerare potest divinitas ad unam naturam constituendam. Non 1^o quia Deus simplex est et incorporeus: non 2^o quia divina natura nec materia nec forma rationem habere potest.

Solvuntur Objectiones.

209.

Obj^o Joan. i. v. 14. Eodem modo dicitur Verbum caro factum, quo aqua dicitur vinum facta, ibid. c. 2. v. 9. Atqui aqua dicitur facta vinum per conversionem. Ergo etiam Verbum caro factum est per conversionem.

Resp. 1^o Nunquam, quod Sciamus, Eutychemi docere, Verbum in carnem transmutatum fuisse: imò potius humanitatem à Divinitate totam absorptam asperabant; ergo frustra et in vanum citata S. Joannis verba huc opponuntur.

Resp. 2^o Dist. maj. Verbum dicitur caro factum eodem modo quoad formam verborum, quo aqua dicitur vinum facta, conc. Eodem modo quoad sensum, neg. maj. Nam si idem esset sensus, sequeretur Verbum defuisse, sicut desit aqua per suam in vinum conversionem. Itaque eadem forma verborum habere potest diversum sensum pro diversitate materiae seu rei significatae,

226. ut patet ex illis Apostoli ad Galat. 3. ubi dicitur
Christus factus maledictum, sensus enim non
est, Christum conversum esse in maledictio-
nem. Igitur Verbum caro factum est, non
per mutationem sui in carnem, sed per assump-
tionem humanitatis in unitatem personae
Verbi. Verbum caro factum est, ait S. Epipha-
nius, haeres. 77. non quod in carnem commu-
tatum fuerit, sed quod carnem pro nobis assump-
serit, et homo factus sit.

7.103

210. Ob. 2^o. S. Justinus Martyr, apol. 2. dicit,
panem in Eucharistia fieri carnem Christi,
sicut Verbum caro factum est. Atqui panis
fit Caro Christi per conversionem. Ergo.

Resp. S. Justinus solum vult signifi-
care, in Eucharistia esse vere carnem et san-
guinem Christi, sicut Verbum vere habet car-
nem et sanguinem: quod patet ex contextu.

211. Ob. 3^o. Multi Patres, ut Irenaeus,
lib. 2. c. 21. Tertullianus, apol. c. 21. Augusti-
nus, Ep. ad Volusianum. S. Cyrillus, lib. de in-
corum vanitate. S. Leo, Serm. 3. in die Natalis
Domini. Inarnationem vocant mixtionem,
et mixturam. Ergo in ea facta est natura-
rum mixtio.

Resp. Dist. ant. Mixtionem vocant
Inarnationem, ad significandam intimam
et hypostaticam, utriusque naturae in Christo
unionem, conc. Ad significandam utrius-
que naturae confusionem, neg. ant. Constat
enim eos admisisse in Christo duas naturas
distinctas et inconfusas, atque agnovisse
Christum esse verum Deum simul et homi-
nem. Certè Tertullianus, lib. contra Prae-
neam c. 27. ex instituto refedit illam natu-
rarum in Verbo Dei mixturam et confusionem.

Et S. Augustinus, Ep. 3. ad Volusianum, sicut,^{227.}
inquit, in unitate personae anima unitur
corpore, ut homo sit: ita in unitate perso-
nae Deus unitur homini, ut Christus sit. In
illâ ergo personâ mixtura est anima et cor-
poris: in hac personâ mixtura est Dei et
hominis; si tamen recedat auditor à con-
uetudine corporum, quâ solent duo liquo-
res ita commisceri, ut neuter servet inte-
gritatem suam; quamquam et in ipsis cor-
poribus aëri huc inmixta misceatur.

Ob. 4.^{to} Julius Papa, Ep. ad Diony - 212.
Suum Corinthi Episcopum, Necesse est eos,
inquit, cum duas naturas dicunt, unam ado-
rare, alteram non adorare; ac in divinam
quidem baptizari, in humanam vero non
baptizari. Consonat S. Gregorius Thau-
maturgus Neocesariensis Episcopus, in Expo-
sitione fidei, ubi, Non, inquit, dua per-
sona, neque due nature; non enim qua-
tuor nos adorare dicimus. Ergo, p.

Resp. Epistola illa non est Julii Papa
sed ipsi ab Eutychiânis falso adscripta fuit. Si-
militer Expositio illa fidei etiam ab Eutychia-
nis falso attribuitur S. Gregorio, utrumque
opus factus est Apollinaris, aut Eutychis,
aut alterius cujusdam haeretici.

Ob. 5.^{to} A Patribus papim compara- 213.
tur unio divinitatis et humanitatis cum
unione animae rationalis et corporis. Ergo
sicut ex unione animae cum corpore resul-
tat una natura, ita ex unione divinita-
tis cum humanitate resultat una natura.

Resp. Dist. ant. Comparatur in ali-
quo, conc. In omnibus, neg. ant. Patres
per hanc comparisonem hoc unum inten-

228. Sunt, quod, sicut ex unione animae cum corpore absque confusione fit unus homo: ita ex unione divinitatis cum humanitate in personā Verbi absque confusione naturarum fit unus Christus, una duarum naturarum persona, quae est Deus et homo, et quod, sicut unio animae cum corpore est physica et substantialis, ita et unio Verbi cum humanitate; prout declarat Symbolum Athanasii.

214. Ob. 6^{to} S. Damascenus, in sua Definitione, c. ult. ait: Idem sive attinet, hyprostaticam unionem unam rerum conjunctarum naturam efficere. Ergo.

Resp. Bilius, cuius est haec versio, male vertit naturam pro hyprostatica; nam in textu graeco legitur hyprostaticam, personam, non physicam naturam. Et vero S. Damascenus, eodem capite inferius aperit, ex duabus naturis unam tertiam effici non potuisse.

215. Ob. 7^{mo} Aliqui Patres dicunt, naturam humanam in Christo esse deificatam. Ergo, p.

8.104
Resp. Solum volunt eam esse divinitati substantialiter unitam in personalitate Verbi, ita ut hic homo Christus sit Deus, prout ex eorum doctrina patet.

216. Ob. 8^{vo} S. Cyrillus Alexandrinus unicam in Christo admittit naturam post unionem.

Resp. neg. Nam multis in locis expresse docet, duas in Christo naturas distinctas et inconfusas, prout patet ex textu, quem prob. 3^a hic ex ipso laudavimus; ut et ex Ep. ad Nestorium, quae incipit, Intelligo, à Concilio Ephesino approbata: Item in Commemoratio ad Eulogium, dicit, Nesto-

rium errare, non dicendo duas naturas, sed ^{229.}
earum unionem substantialem negando.

Inst. 1.^o S. Cyrillus, Ep. ad Sucepsum,
dicit, naturam divinam et humanam non nisi
cogitatione distinguere. Ergo.

Resp. Per verbum distingui intelligit
dividi ac separari: quod patet ex exemplo
anime et corporis, quod affert, que realiter
à se invicem non separantur in homine vivo;
proterea, in Ep. ad Joannem Antiochenum,
que incipit, Latentur Coeli, rejicit omnem
in Christo mixtionem, quâ duo ita confun-
duntur, ut utrumque vel alterutrum
sua integritatem amittat.

Inst. 2.^o S. Cyrillus, Ep. i. ad Sucepsum
ait: Post unionem naturas alteram ab alte-
ra non dividimus... Sed unum asserimus
filium, ut et SS. Patres dixerunt, unam na-
turam Dei Verbi incarnatam. Ergo unam
in Christo admittit naturam.

Resp. neg. cons. Nam non dicit, unam
naturam Verbi incarnati, sed unam naturam
Verbi incarnatam: quorum Verborum sensus
est, naturam divinam Verbi, que una est,
unitam esse substantialiter humanitati in
personalitate Verbi. Itaque hoc loquendi
modo Cyrillus et alii Patres solum intendunt,
naturam divinam Verbi esse substantiali-
ter unitam humanitati in personalitate
Verbi, et per hanc unionem substantialem
illas duas naturas coalescere in unam perso-
nam, unum Christum, qui simul Deus
est et homo. Quod patet ex ipso Cyrillo, in
suo ad Eulogium commonitorio, ubi ait:
Licet duas naturas esse dicat / Nestorius /
carnis et Verbi Dei differentiam signifi-

230. canis, est enim alia Verbi, alia carnis natura;
attamen unionem unam nobiscum non con-
fitetur. Nos enim illos adunantes, unum
Christum, unum eundem Filium, unum
Dominum confitemur, et unam propterea
Dei naturam Incarnatam dicimus. Hoc
etiam constat ex Concilio Oecumenico V. can.
8. eadem verba in hoc sensu interpretante:
Si quis, inquit, unam naturam Dei Verbi
Incarnatam dicens, non sic ea excipit, sicut
Patres docuerunt, quod ex Divina natura et
humana, unitione secundum Subsistentiam
facta, unus Christus effectus est... Talis Ana-
thema sit. Alii textum S. Cyrilli sic
explicant, nempe unam naturam unitate
suppositi, non naturae.

Inst. 3^{to} S. Cyrillus lib. ad Reginas,
S. Athanasium citans ait: Agnosimus illum
Dei Filium Deum esse secundum Spiritum,
Filium autem hominis secundum carnem;
non duas naturas, unam adorandam, alte-
ram non adorandam, sed unam naturam
divini Verbi Incarnatam, quae simul cum
eius carne una adoratione adoratur: ne-
que duos rursim filios, alterum verum
adorandumque, nempe Filium Dei; al-
terum ex Maria hominem non adoran-
dum: Patria; sed per gratiam perinde ac
ceteri homines in filium cooptatum.

Resp. Solim vult cum S. Athana-
sio, se non agnoscere in Christo duas na-
turas accidentaliter tantum unitas, et sub-
sistentes in duabus personis, quarum pro-
inde una adoretur cultu Patria, altera
vero non sic adoretur; sed agnoscere na-
turam divinam Verbi, quae una est, uni-

D. Ecce pag. 105.

tam Substantialiter humanitati in perso-
 nalitate Verbi, quo simul cum eius humani-
 tate una adoratione adoratur, cum utra-
 que natura in eadem personam divinam sub-
 sistat. Igitur Athanasius et Cyrillus
 hoc loco non negant duas naturas simpli-
 citer et absolute, sed duas naturas subsis-
 tentes in duobus Suppositis, quarum una
 adoretur Latría, altera non; voluntque
 Verbum cum humanitate sua una eadem-
 demque adoratione Latría adorandum esse,
 cum Verbum cum sua humanitate sit una
 persona, unus Christus, unus Dominus, non
 duo Christi, non duo Domini. Quod patet ex
 his verbis: Sed unam naturam divini Verbi
incarnatam, quo simul cum eius carne una
adoratione adoratur. Ubi, proter unam na-
 turam Verbi, admittit aliam distinctam, nem-
 pe humanitatem.

18

Ob. q^o Si duo essent in Christo na-
 turae essent quoque duo Christi; ideo enim
 in Trinitate unus est Deus, quamvis sint
 tres personae, quia est unica natura, unde
 si duo sint in Christo natura, duo sunt
 Christi. Atqui hoc falsum est. Ergo.

Resp. neg. seq. maj. Quia concreta
 Substantiva non multiplicantur, nisi si-
 mul multiplicentur natura et Suppositum.
 Unde Deus in Trinitate non multi-
 plicatur, quia natura divina non multi-
 plicatur, sed est una et eadem in tribus
 personis: Christus vero non multiplicatur,
 quia non multiplicatur Suppositum seu
 persona. Hic non protermittendum vide-
 tur, Eutychem asseruisse duas ante unice-

a carnis natura
 Verbum non con-
 sumentes, unum
 Verbum, unum
 unam propter
 Verbum. Hoc
 communis
 interpretantur
 unam Dei Verbi
 ea eripit, sicut
 divina natura
 in subsistentia
 sest... Talis
 tum S. Cyrilli
 turam unitat
 ad Reginas
 Agnosimus idem
 unum Spiritum
 unum carnem
 adorandam, id
 ed unam natura
 in, que simul
 one adoratur
 alterum verum
 Filium Dei
 em non abro
 atiam perinde
 cooptatum
 cum S. Athana-
 Christo duas na-
 un unitas, et
 nis, quarum
 Latría, altera
 agnosce re
 e una est, un-

232. nem fuisse naturas, unde supponerat illas naturas aliquamdiu existisse à se invicem separatas. At fides nos docet Naturam humanam Christi nullo unquam instanti reali temporis existisse sine unione cum verbo; quod patet ex haecenus dictis. Nam alioqui B. Virgo non concepisset Deum, non esset vere Mater Dei: non enim genuisset naturam persona divina unitam; item in Christo fuissent aliquando dua persona, duo Filii, Christus aliquando fuisset purus homo. Dua omnia adversantur Scripturae, Patribus et Conciliis. In re hanc Eutychis propositionem S. Leo, Ep. ad Flavianum vocat absurdam, perversam blasphemiam: cum tam impie, inquit, duarum naturarum ante Incarnationem Unigenitus Dei Filius fuisse dicatur, quam nefarie, postquam Verbum caro factum est, natura in eo singularis aseritur.

218.

S. Septimus.

Utrum in Christo fuerit duplex voluntas et operatio?

Solam voluntatem divinam in Christo admittebant Apollinarista, docentes in eo Verbum fuisse pro anima rationali: solam humanam Nestoriani, asserentes Christum esse purum hominem. Unam quoque voluntatem Christo tribuebant Eutychiani, unicam in eo agnoscentes naturam. Sed praeter illos Septimo saeculo imperante Heraclio, exorti sunt novi haeretici, qui licet in Christo duas naturas, saltem verbotenus profiterentur, unicam

233
in eo voluntatem adcoque et operationem
admittebant, unde dicti sunt Monothelita*.
Horum Haeticorum duces primarii fuerunt
Sergius Constantinopolitanus, Cyrus Patri-
archa Alexandrinus, Macarius Patriar-
cha Antiochenus, Pyrrhus et Paulus Ser-
gii Successores in Sede Constantinopoli-
tana, Theodorus Pharanitanus: Secta
vero auctor fuit Athanasius Jacobita-
rum Patriarcha.

Cum Sergius callide scripsisset ad
Honorium Papam, ut duarum volunta-
tum ac operationum perinde ac unius
in Christo professione abstinendum de-
cerneret, maxime cum antiqui Patres
hujusmodi quæstionem silentio com-
pressissent, et duarum voluntatum præ-
dicatio contrarietatem in Christo inve-
here videretur: Honorius inante Sergio
consensit in duabus epistolis ad ipsum res-
criptis, in quibus asserit abstinendum
esse ab appellatione unius et duplicis ope-
rationis: unde postmodum in Concilio
generali VI. an. 680. unicum Sergio et
aliis Monothelitis velut ipsorum here-
sis fautor damnatus est; quamvis in
2da ad Sergium Epistola dilectè profite-
ri videatur duas in Christo voluntates et
operationes, utrasque, inquit ibi, naturas
in uno Christo unitate naturali copulatas,
cum alterius communionem operantes, at-
que operatrices: et divinam quidem que
Dei sunt operantem, et humanam que
carnis sunt exequentem. Ipsumque
ab errore vindicent, S. Maximus ipsi co-
ataneus, in Dialogo cum Pyrrho, Joan-

* à graeco nomine
μονος quod idem
est ac unius et
verbo θελω Latine
volo seu à nomine
θελησις, quod vo-
luntatem signifi-
cat.

234. nes Symponus Abbas ipsius Honorii Amamensis, quique ejus nomine epistolam ad Sergium scripserat, in Epist. ad Imperatorem Constantinum, in qua, unam, inquit, voluntatem diximus in Domino non divinitatis ejus et humanitatis, sed humanitatis solius. Cum enim Sergius scripset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, diximus, Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, et spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quae naturaliter humanitatem signabat. Et Joannes Papa IV. in apologia pro Honorio ad Constantinum eundem Imperatorem Heraclii filium, ubi ait: predictus ergo Deceptor meus s. Honorius, docens de mysterio Incarnationis Christi, dicebat non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus mentis et carnis contrarias voluntates: quod quidam s. Monothelitas scilicet, ad proprium sensum convertentes, divinitatis ejus s. Christi, et humanitatis unam eum s. Honorium, voluntatem ducisse suspicati sunt, quod veritati omnimodis est contrarium.

Hoc, inquam, non obfuisse, quin ut primum diximus, Honorius a Synodo VI. damnatus fuerit et inter Haereticos commemoratus s. quamvis ipse Haereticus minime fuerit, aut Haeresein duxerit, quod grassantem haeresein redum non, prae Summi Pontificis officio suo, repraesent, quin sua agendi ratione Orthodoxis claustrum canentibus silentium indicere visus sit; Monothelitas, qui jam primas Sedes

occupabant, in errore præconcepto velut ^{235.}
tutos reddiderit; aliis Episcopatum ambien-
tibus ne via obtunderetur, permisit:
Denique Catholicorum causam. suo silen-
tio velut in discrimen adduxerit, necnon
Hæreticorum partes, non hæretico quidem
animo; sed imprudenti et incauto, adju-
vare quasi visus fuerit, frustra promo-
nitus à S. Sophronio Patriarcha Hieroso-
lymitano, flammam hæreseos ubique
serpere, nec jam tempus esse silendi.

Honorio an. 629. è vivis sublato, an-
no sequenti Ethesim seu fidei exposi-
tionem à Sergio factam promulgavit He-
raclius Imperator, in qua prohibebatur,
ne quis unam vel duas diceret operatio-
nes in Divinâ Domini Incarnatione, et
asperbatur, unam in Christo esse volun-
tatem nempe Divinam.

Heraclii Ethesim constanter repu-
diavit Severinus Honorii in Sede Apostoli-
câ Successor, ut testatur Martinus I. Papa
in fine Secretarii tertii Synodi Lateranen-
sis, et eodem anno exeunte mortuus est.
Ei Successit Joannes IV. qui in Concilio Ro-
mano et Ethesim, et Monothelitarum
hæresim damnavit, cujus Secreto Constan-
tinus Heraclii filius adherit. Joan-
ni defuncto Sufficitur Theodorus, qui om-
nem curam et operam posuit in abolen-
dâ Heraclii Ethesi et Monothelitarum
Hæresi, atque Pyrrhum et Paulum,
depositionis et excommunicationis sen-
tentiam multavit. Verum Constans
Constantini in Imperio Successor, agen-
te Pyrrho, avi Ethesim famoso suo

623 p 109

236. Typo seu Edicto confirmavit, quo, sub praetextu Dispensationes et alterationes impediendi, prohibebatur, ne Deinceps una aut Ina voluntates, una aut Ina operationes dicerentur. Martinus vero Papa I. coacta Roma Synodo centum quinque Episcoporum, tam Heraclii Ethesim, quam Constantis Typum, necnon primarios Monothelismi Ines una et ipsorum haeresim damnavit. Hinc commotus Constans Imperator Martinum Constantinopolim accersit, ubi crudeliter excipitur, ignominiose per urbem traducitur, tandemque arumnis confectus Chersonese exul gloriosus Martyr occumbit, sed non sine Divina in persecutorem ultione: nam Constans occiditur, succeditque Constantinus Pogonatus, id est, Barbatus, Princeps religiosus, quo favente Concilium Constantinopoli indicitur an. 680. quod inter Oecumenicum sentum nuncupatur; in eo praesunt Agathonis Papa Legati, atque Monothelitarum Haeresis damnatur, illudque Leo II. Papa confirmavit. Haec Monothelismi succinata historia. modo sit

219.

Conclusio.

Duplex in Christo fuit voluntas et operatio.

Prob 1.º Ex Scriptura. Matth. 26. v. 39. Pater mi, ait Christus, si possibile est transeat a me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Luc. 22. v. 42. Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Joan. 6. v. 38. Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem me-

am, sed voluntatem eius qui misit me.

atque voluntas hae Christi humana fuit non divina; siquidem ut una est in tribus divinis personis a sentia, ita et una voluntas, Ego et Pater unum sumus, Jo. 10. v. 30. Imò et humana illa Christi voluntas, quamquam motu et inclinatione naturali mortem refugeret, perfecte tamen divinae Patris sui voluntati subdita et obediens fuit.

Joan. i. v. 43. refertur, voluisse Christum in crastinum exire in galileam. Ergo ibi nondum erat, non divinitate profecto, qua ubique est, sed humanitate, igitur non quatenus Deus sed quatenus homo voluit ire in Galileam; ergo humana in ipso fuit voluntas, non solum divina.

Marci 7. v. 24. dicitur, Jude surgens / Christus: / abiit in fines Tyri et Sidonis; et ingressus domum neminem voluit scire, et non potuit latere. Voluit Christus latere et non potuit: sed de divina eius voluntate, cui omnia possibilis sunt, istud intelligi non potest; ergo intelligi debet de humana ipsius voluntate. Erat ergo in Christo humana voluntas à divina distincta; ac latere voluit quatenus homo, non quatenus Deus erat.

Joan. 7. v. 1. dicitur: Post haec ambulabat Jesus in Galileam; non enim volebat in Judaeam ambulare, quia querebant Judaei eum interficere. Christus quâ naturâ ambulabat, eâdem voluntate voluit ac noluit ambulare: atque procul dubio secundum humanam naturam ambulabat; ergo ex voluntate humanâ voluit aut noluit ambulare. Ergo humana fuit in Christo voluntas.

it, quo, sub pra-
tentiones impe-
Seiceps una ad
et sua operatione
vero Papa I. cost
quinque Episcopo
esim, quam
rimarios Mon-
um haereticorum
instans Imper
inopolim accu-
tur, ignominie
indigne con-
gloriosus Ma-
e divina in pe-
Constantiensi
tibus Logona-
inceps religiosus
Constantinopoli
inter deum enim
in eo praevaluit
que Monothelici
illudque sed
haec Monothelici
do sit
o.
s fuit voluntas
ra. Math. 23. 1.
h possibile est
eorum tamen
Luc. 22.
mea voluntas
v. 38. Jesum
voluntatem me

Christus passim in sacris litteris, ut
 sup. B. 4. pag. 188. jam adnotavimus, turba-
 tur, tristatur, lacrymas fundit, indignatur,
 spernit, litit, et alia id genus similia, quae
 sine humanâ naturâ et voluntate exponi
 non possunt: Christus igitur ex voluntate
 humanâ, sicut et naturâ varios illos motus
 expertus est.

Item Christus in Scriptu-
 ris dicitur factus obediens usque ad mortem,
mortem autem crucis. At virtus obedi-
 tia in Christum, quatenus Deus est, cadere
 non potest; obedientia quippe superiorum
 indicat, cui subiectus est ille, qui obsequitur.
 Deus autem nullum supra se agnoscit; ergo
 in Christum quatenus homo est, adeoque in
 illius humanam voluntatem.

Prob. 2^o Ex Conilio Chalcedonensi
 act. 9. Definiente in Christo duas esse naturas
 inconfuse, salvâ proprietate utriusque na-
turae, salvâ nempe utriusque natura distinc-
 tis voluntatibus et operationibus, quae na-
 turæ sunt vera proprietates.

Lateranensi sub Martino I. mul-
 tis Canonibus. Et ex Conilio 5^{to} generali
 act. 18. in Definitione fidei, ubi ait, in Chris-
 to esse duas naturales voluntates et duas na-
 turales operationes indivise, inconfuse, in-
 separabiliter, inseparabiliter, inconfuse, p.

Prob. 3^{to} Ex SS. Patribus, quorum
 textus in Conilio Romano sub Martino I.
 et in Ep. Agathonis Papa à Conilio VI. appro-
 bati referuntur. Pro omnibus sint

S. Gregorius Nyssenus, lib. contradictio-
 num contra Apollinarem laudato in VI. Synodo
 act. 10. Igitur, inquit, alia est in Christo
humana voluntas, et alia divina p.

Col 40/108

239.

S. Athanasius, lib. De Incarnat. con-
tra Arianos, n. 21. ad haec Christi verba, Pater
si possibile est, transeat p. sic ait: Duas vo-
luntates ibi ostendit, alteram humanam,
quae est carnis; alteram divinam, quae Dei est.
Siquidem humana ob infirmitatem carnis, de-
precatur passionem; divina autem eius vo-
luntas prompta est.

S. Ambrosius, lib. 10. in Lucam n. 59. et
60. Quod autem ait /: Christus; Non mea volun-
tas, sed tua fiat; suam ad hominem retulit;
Patris ad divinitatem: voluntas enim homi-
nis temporalis; voluntas divinitatis aeterna.
Et lib. 2. de fide ad Gratianum c. 3. de Christo
ait: Suscipit ergo voluntatem meam, susce-
pit tristitiam meam.

S. Augustinus, lib. 2. contra Maximi-
num, c. 20. In hoc, inquit, quod ait /: Chris-
tus; non quod ego volo; aliud se ostendit
voluisse quam Pater: quod nisi humano cor-
de non potuisset, cum infirmitatem nostram
in hum., non in Divinum, sed humanum
transfiguraret affectum. Homine quippe
non assumpto, nullo modo Patri diceret
unicum Verbum, non quod ego volo. Nun-
quam enim posset immutabilis illa na-
tura quidquam aliud velle quam Pater.

Prob. 4^{to} Rationibus Theologicis.

1^a Ex Scriptura, Conciliis, et Patribus, Chris-
tus est perfectus Deus et perfectus homo,
habetque duas naturas integras ac distinctas,
divinam et humanam: Ergo etiam habet
ipsarum affectiones seu proprietates inconfu-
sas et impermixtas; non enim aliunde me-
lius ostenditur, naturas confusas et per-
mixtas non esse, quam ex proprietatibus,

240. qua impermixta remanent et inconfusa. At
qui tales affectiones et proprietates sunt vo-
luntas et operatio. Ergo sicut in Christo sunt
duae naturae perfectae et inconfusae, sic etiam
in ipso sunt distinctae et inconfusae volun-
tates et operationes.

2^a. Christi humanitas est perfecta,
ut dictum; Ergo habet propriam volunta-
tem et operationem; nec enim perfecta
esset, si propria careret voluntate et ope-
ratione.

3^a. Principium quo eliciuntur ac-
tiones, est ipsa natura. Ergo sicut natura
in Christo duplex est, ita et voluntas et ope-
ratio duplex, non una esse potest. Id ma-
nifestè apparet in Mysteriorum SS. Trinitatis,
ubi actio naturam sequitur: indivisa quip-
pe sunt opera SS. Trinitatis, propter unam
et indivisam, qua in tribus personis est, ope-
randi virtutem ac potentiam.

4^a. Verbum id assumpsit, quod sa-
navit. Atqui voluntatem nostram vulne-
ratam ac depravatam sanavit. Ergo et eam
assumpsit.

5^a. Denique, fide constat Chris-
tum meruisse et satisfecisse pro peccatis nos-
tris. Atqui actus Christi non potuerunt
esse meritorii et satisfactorii, nisi essent
producti à voluntate humana libera: nam
Divina voluntas non potest per suos actus
mereri proprie et satisfacere, hoc enim in-
ferioris naturae est. Ergo.

220. Quae sunt huius Theologi quotuplicis
generis in Christo fuerint operationes, atque
communiter respondent, eas triplicis generis

Col. 5^a 109.

241.
fuisse. Nam inter operationes Christi ali-
qua sunt divina, seu qua fiunt à Christo
tantum ut Deus est, sive qua à solâ divi-
nitate absque ulâ actione humanitatis
etiam ut causa instrumentalis fiunt: tales
sunt actiones creativa animarum rationa-
lium, conservatio mundi, concursus divi-
nus ad omnes actiones creaturarum. Alia
sunt humanae, ea nimirum, quae naturae
humanae sunt propriae, ut actus amoris à
voluntate humanâ elicitus, et intellectus
humana Christi: tales etiam fuerunt lo-
cutio, comestio, fletus, passio, quae tamen
sunt actiones Dei denominative, quatenus
actiones sunt suppositorum seu personarum.
Alia denum mixtae, et sunt ea, in quibus
utraque natura agit, ut cum Christus suo
contactu miracula patrabat: nam tunc
agebat natura divina per suam omni-
potentiam, humana verò per suum contac-
tum. Haec actiones dicuntur specialiter The-
andricae*, quia continent actionem divi- * Deiviriles
nitatis, et actionem humanitatis unita
divinitati, licet haec actiones inter se dis-
tinctae sint et inconfusae. Ipse Dominus
noster Jesus Christus s: inquit Agatho Papa
in sua ad Imperatorem Epistola: qui verus
et perfectus Deus, verus et perfectus homo
est in sacris suis Evangelis protestatur
in aliquibus humana, in aliquibus divina,
et simul utraque in aliis de se patefai-
ens, ut se verum Deum, verumque ho-
minem credere ac predicare Fideles suos
instrueret.

242.
221.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1^o S. Dionysius, vulgò Areopagita dictus, L. de divinis nominibus ait: unam esse in Christo Dei virilem actionem. Et Ep. 4. ad Cajum, ait: Deo viro facto, novam quamdam Theandricam, seu Dei virilem operationem exprimit /: Christus in vita.

Resp. 1. Textus ab hæreticis Monothelitis corruptus fuit, et Dionysius scripsit, novam non verò unam Dei virilem actionem, ut docent Concilia Romanorum sub Martino I. et generale VI.

Resp. 2. Cum S. Maximò, una Theandrica seu Dei virilis actio dici potuit à S. Dionysio, non in sensu Monothelitarum, sed eo quòd actio humanitatis esset à Verbo denominativè tanquam supposito. Nam omnis actio humana est ab humanitate ut à principio productivò ac determinativò, et à Verbo ut à principio denominante; actiones enim sunt suppositorum. Brevius, actio Christi dicitur una propter unitatem suppositi agentis in duabus naturis, Dei virilis verò seu Theandrica, quia est Dei hominis.

222.

Ob. 2^o S. Athanasius, lib. de Sententiari Adventu Christi ait, Christum fuisse sine carnalibus voluntatibus et cogitationibus humanis, quia solius divinitatis voluntas in eo fuit.

Resp. Hic locus truncatus fuit, ut observatum fuit in Synodò generali VI. act. 8. et S. Doctor ibidem à Christo excludit dumtaxat voluntates carnales et cogitationes humanas perversas ac culpabiles, non eas, quae simpliciter humanae sunt. Cum autem ait,

voluntatem Christi solum fuisse Divinitatis,^{243.}
intelligit solum quantum ad regimen et di-
rectionem: Christi enim Divinitas Verbo iden-
tificata tanquam Domina omnes humani-
tatis eius actiones specialiter regebat ac mode-
rabatur.

Ob. 3^{to} S. Gregorius Nyssenus con-223.
tra Eunomium scribit, Divinitatem per
corpus, quod induit, hominum omnium
veram salutem operari, ut propria sit carnis
perceptio, Dei autem operatio.

Resp. Per carnis perceptionem in-
telligitur etiam posnarum libera accepta-
tio, quae est actio voluntatis humana; et
sensus hujus loci est, Dei operationem in
humana redemptionis negotio primas tenere,
et humanitatis actiones regere.

Ob. 4^{to} S. Cyrillus Alexandrinus, 224.
lib. 4. in Joan. ait: Christum unam et cogna-
tam per ambas naturas ostendisse operatio-
nem.

Resp. Inarum naturarum unam et
cognatam divi operationem, tum ratione
principii seu personae agentis, tum ratione
intima conjunctionis utriusque naturae
divinae et humanae, quae fit, ut omnes actio-
nes Christi sint Dei viriles ac Theandricae.
Hoc eo ipso quo actio Dei virilis dicitur,
duplex innuitur eius principium, utraque
sibi est Christi natura, divina et humana.

Ob. 5^{to} S. Gregorius Nazianzenus, 225.
orat. 36. ait: Christi voluntatem non fuisse
Deo contrariam, quia tota Deificata fuit.

Resp. Hoc S. Gregorii dicto humana
Christi voluntas potius asseritur, quam ever-
titur. Nam si quae sit in Christo voluntas

Col 6 p 110

244. Divina non contraria sed Deificata, ea certè
humana est; neque enim Divina proprie
Deificata et Deo non contraria nisi absur-
dissime dici potest.

226. Ob. 6^{to} Juxta SS: Athanasium et
Cyrillum, Verbum utebatur humanitate
tanquam instrumento et organo. Atqui
instrumentum non habet operationem pro-
priam et distinctam ab operatione causa
principalis. Ergo.

Resp. Dist. maj. Verbum utebatur
humanitate tanquam instrumento activo
et libero, quod esset suarum propriarum
actionum principium productivum et de-
terminativum, conc. Tanquam instrumen-
to inanimato, et quod non esset suarum ope-
rationum principium determinativum ac
productivum, neg. maj. Patres solim vo-
lunt, Verbum usum fuisse sua humanitate
ad humana redemptionis opus perficiendum:
ad quod necessarii fuerunt actus meritorii
et satisfactorii humanitatis, qui proinde
ab illa liberè elicerentur.

227. Ob. 7^{mo} Ubi est una persona
operans, ibi una est operatio: ex vulgari
axiomate, Actiones sunt suppositorum.
Atqui in Christo est unica persona. Ergo et
unica operatio.

Resp. neg. maj. et retorg. argum.
Si ubi est una persona operans, ibi unica
est operatio; tunc ubi sunt tres persone, tres
quoque operationes admittenda erunt. Atqui
postremum hoc est falsum, ut vel ipso mys-
terio SS. Trinitatis aperte demonstratur, in quo
tres sunt persona realiter distincta, et ta-

man una ad extra operatio. Igitur operatio^{245.}
et vis operandi non sequitur personam, sed
naturam, quae dicitur et est principium quo
elicitivum operationum. Personalitas
enim, ut jam alibi, ni fallor, observavimus,
ex se iners est, non activa, merus natura
terminus ac ultimum complementum, seu
tota et perfecta natura singularis et indivi-
dua: atqui operatio non semper nec ne-
cessario sequitur naturam, quatenus tota
est ac ultimo completa in ratione perso-
na, ut constat exemplo anima rationalis
corpori unita, quae utique persona non
est, nec aliquod totum, sed pars, et tamen
sua operationes spirituales exercit, intelli-
gendo et volendo. Dicendum nihilominus,
personalitatem omnino esse necessariam,
non quidem ut principium activum et eli-
citivum, sed tanquam conditionem, ut to-
tum seu suppositum, quod appellatur prin-
cipium quod actionis, operetur: atque
inde ductum commune axioma, Actiones
Sunt Suppositorum, non quidem elicitivae
sed denominativae et attributivae, quia sup-
posito tribuntur, a quibus denominatur
agens.

Inst. Voluntas est proprietas per-
sonalis. Ergo.

Resp. neg. ant. Sed est proprietas
naturae intellectualis. Sanè quidem simpli-
ter velle naturae est, aiebat S. Maximus
in collatione cum Cyrillo habitâ. Et vero
si, prout primum animadvertimus, voluntas
est proprietas personalis, tres essent in Tri-
nitate voluntates divinae realiter distim-

Bl 9/111

246. ta, cum in ea sint tres personae realiter inter se distinctae.

228.

Ob. 2^o Fieri non potest, ut in eadem personâ duae simul sint voluntates, quin una alteri adversetur. Ergo si in Christo duae fuerunt voluntates, illae fuerunt inter se contrariae, quod tamen dici nequit.

Resp. neg. ant. Itaque humana Christi voluntas nullos habuit contrarios actus divinae voluntati, sed ei semper conformis fuit. Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed humanam; inquit ipse Christus, Joan. 6. sed voluntatem eius qui misit me. Et c. 8.

Ergo, quae placita sunt ei, facio semper. p. Ratio est, quia humana Christi voluntas fuit semper rectissima et sanctissima, nec in illâ potuit esse ulla inordinatio: fuisset autem in illâ inordinatio, si non fuisset semper conformis voluntati divinae. Igitur omnis actus humanae Christi voluntatis tum efficax, tum etiam inefficax semper fuit secundum se perfecte conformis voluntati divinae ut regula; hoc est, fuit talis, qualem Deus esse voluit; et Christus semper voluit, quod Deus voluit eum velle, et eo modo voluit, quô Deus volebat eum velle.

Iust. 1.^o Christus habuit voluntatem inefficacem vitandi mortem et supplicia, juxta illud, Matth. 26. Patet, si possibile est, transeat à me calix iste. At qui talis actus fuit contrarius voluntati divinae. Ergo Christus habuit actum contrarium voluntati divinae.

Resp. neg. min. Nam Deus volebat, ut Christus haberet illum actum inefficacem,

namque ut simplicii displicentiā refugeret ^{247.}
mortem ac passionem tanquam natura sua
disconvenientem, ad evitandum mayo-
rem passionis dolorem, et sic magis pati-
endum, atque ad nostrum exemplum et
solatium. Et Christus mortem volebat
simplicii displicentiā ex eodem motivo,
sub quo displicebat Deo, ita ut per illam
displicentiā, quam Deus volebat eum
habere, meritus sit. Unde voluntas divi-
na et voluntas humana Christi idem vo-
lebant efficaciter, volebant ineffaciter,
sub diverso respectu.

Inst. 2.^o Deus volebat efficaciter,
ut Christus moreretur. Ergo voluntas non
moriendi adversabatur divinae voluntati.

Resp. neg. cons. Nam voluntas in-
efficax et conditionata vitandi mortem,
ut naturaliter malam, non adversaba-
tur actui, quo Deus volebat efficaciter
Christum pati et mori, cum illius execu-
tionem non impediret, nec actui, quo
Christus ipse ut homo voluit efficaciter
mortem ac passionem suam ut præcep-
tam a Patre, et hominibus salutarem,
cum hunc actum nec excludere nec re-
tardare potuerit.

Inst. 3.^o Voluntas efficax, et
voluntas inefficax ejusdem rei sunt actus
contrarii.

Resp. neg. Actus enim efficax,
quo quis vult aliquid, et actus inefficax,
quo idem non vult, sed propter diversum
motivum, præsertim si illi actus omnino

248. liberi sint, ut fuerunt in Christo, nullam
habent inter se oppositionem et repu-
gnantiam. Quod etiam patet, expo-
nendo hos actus voluntatis Christi: volo
vitare mortem secundum se spectatam
et ut molestam naturæ, si sit æqualis
Dei gloria et voluntas: volo efficaciter
mortem ut gratam ac gloriosam Deo, et ho-
minibus salutarem.

229.

S. Octavus.

De unione hypostatiã,
et eius extremis, nempe per-
sonã assumente et naturã assump-
tã.

Debellatis hætenus, Satis felici, ut
arbitramur, successu variis hæresibus et
blasphemiis, quas variis temporibus ne-
farii homines et Hæresiarcha uirã, vel
potius contra Incarnationis Dominicæ
seu Unionis hypostaticæ Verbi Divini cum
humanã naturã essentiam protulere; mo-
dò ea quoque nobis rimanda veniunt, quæ
circa eandem hypostaticam unionem illius-
que extrema personam nempe assumen-
tem et naturam assumptam hinc inde, sal-
vã tamen ubique fide, disputant Theolo-
ginostri. Et quia, ut jam alibi passim
ultrò declaravimus, his Scholæ trivis minus
delectamur, hinc rem totam eã, qua
poterimus brevitate unio hoc S. Singu-
lis titulis conficiemus.

230.

I.
Quid sit unio hypostatica, et
in quo consistat.*

Unio generatim est
nexus extremorum res in Incarnationis mysterio exponendo
Quamquam ex veteribus quamplur-

promissive vocibus unionis, unitiois, et assum-^{249.}
ptionis utantur, nihilominus in rigore Scho-
lastico nonnihil Discriminis inter eas Statui
debet: unitio quippe actionem denotat
unientis; unio vero terminum actionis;
assumptio autem naturam, quæ ad unio-
nem assumitur. Unde Verbum Divinum
recte quidem dicitur unitum, non vero as-
sumptum, quia proprie ac Strictè non
assumitur à naturâ humanâ, sed potius
illam assumit tanquam inferiorem.

Unanimi quidem consensu Ortho-
doxi omnes docent naturam humanam unio-
ne intimâ, reali, physicâ, et hypostatiâ
cum Verbo conjungi; at dissentiunt inter
se Scholæ Doctores in assignandâ hujus unio-
nis naturâ, quæ certè tota in abstrusô
ac reconditô mysteriô posita est, nec satis
potest explicari: neque verò idmirum vi-
deri debet, siquidem ne ipsa quidem unio
naturalis anima spiritualis cum corpore
materiali hætenus liquido exponi et ex-
plicari potuerit.

Varias, ut dictum, in partes hæc sin-
duntur Scholastici. Alii existimant, unio-
nem hypostaticam esse qualitatem quam-
dam Supernaturalem absolutam, quam
vocant gratiam unionis; putant enim
duas illas tam diversas et a se invicem dis-
tintas naturas copulari simul in unâ
personâ non posse, quàm per qualitatem
quamdam absolutam. Ita Gabriel, in 1.
Dist. 30. q. 4. art. 1. et in 3. Dist. 1. q. 1. art. 1.

Alii putant, unionem esse relatio-
nem realem, quâ humana natura vel ad
naturam Divinam, vel ad Divinam per-

que in eo unum sunt,
in quo univertur. unio
ergo hypostatica seu
personalis est nexus
utriusque naturæ, di-
vine et humane, in
una Verbi personâ,
quæ primum hinc
unus Christus.

in Christo, unum
unionem et rap-
tam patet, ergo
tatis Christi, vol-
dum se spectat
na, si sit equal
volo efficitur
gloriosam Desit

us.
prostatia,
nempe per-
taturâ assum-

us, satis felic-
ius hæresibus
is temporibus
iancha una, ve
ationis Dominica
ie Verbi Divini
tam potulere
anda veniunt
iam unionem
nempe assum-
am hinc inde
disputant. The-
tam alibi popu-
Scholæ hinc
totam eâ, que
unio hoc d. hinc

statia, et
tat.
tibus quam
toro exponit

250. Sanam refertur. Tribuitur haec opinio Scoto, in
3. dist. 1. q. 1.

Arbitrantur alii, unionem hyposta-
ticam esse ipsam et actionem, per quam
humanitas Christi producta fuit, ita ut eadem
actione et producta fuerit et Verbo unita; eo
ipso fere modo quo, in mente Beriputeti-
corum, forma simul è materia educitur,
et cum ipsa unitur.

Alii denique sentiunt, unionem
nihil esse extremis unitis superadditum, adeo-
que naturam humanam seipsa, absque ulla
qualitate vel modo Verbo Divino in unitatem
persona conjungi, quae sententia ceteris cla-
rior et facilius videtur. Verum tota haec
questio videtur esse de nomine duntaxat,
proinde de ea non urandum nobis.

231.

Magis nobis placeret, si quis nobis expli-
caret, quid sit humanitatem in Verbo subsis-
tere, et quomodo id conipi possit.

Verum clarè et nitidè id à nemine
mortalium exponi posse arbitramur, iam sit
fidei mysterium humanae rationi prois in-
auesum. Hic si ratio quaeritur, ait S. Augus-
tinus, non erit mirabile: si exemplum posui-
tur, non erit singulare. Demus Deum aliqui
posse, quod nos fateamur investigare non posse.
In talibus rebus tota ratio facti est potentia
facientis.

Putant tamen aliqui istud utrumque
exponi ac declarari posse exemplo unionis ani-
mae cum corpore. Sicut enim 1.º ex unione
illa resultat una natura totalis per se subsis-
tens ultimò completa et terminata, et indivi-
sio alteri tanquam supposito incommuni-
cabilis. 2.º Sicut ex illa unione resultat

Ep. 137. aliis 3. ad
Volusianum.

Ep. 137. aliis 3. ad
Volusianum.

unum suppositum, quod talis homo dicitur, ^{251.}
atque unum est principium et Subjectum
Denominationis omnium actionum et passio-
num. 3^o Denique, Sicut anima rationa-
lis in homine est principium Superiori diri-
gens ac moderans omnes ejus actiones: Ita
quoque per Subsistentiam Verbi humanitas
Subsistere dicitur, 1^o Quia ex unione Verbi
cum humanitate resultat, non quidem
una totalis natura s. qua ex parte deficit
exemplum animae et corporis: sed unum
totum duplici constans natura, nempe
unus Christus, cujus humana natura ita
est ultimis completa et terminata ac in
Verbo Subsistens, ipsique tam propria et
intima, ut non possit alteri homini tan-
quam supposito communicari. 2^o Ex
illa utriusque natura in Christo unione,
una exurgit persona, quae est principi-
um quod, et Subjectum Denominationis
omnium Christi actionum et passionum;
hincque nascitur idiomatum communi-
catio, de qua mox agemus, quae fit, ut
Deus dicatur homo, et vicissim homo Deus,
ut Deus dicatur mortuus, et homo immorta-
lis, &c. 3^o Denique, quia natura di-
vina tanquam Superior ac Domina con-
junctam sibi humanitatem in uno Christi
Supposito regit, moderatur, ac specialem
in eam Dominatum exercet: atque inde, ve-
lut à fonte, fluit valor ille infinitus, qui
universas Christi actiones afficit, tum prop-
ter Verbi personam, quae est illarum actio-
num principium quod, et veluti pars est
Satisfactionis Deo Patri oblatae, ut suo
loco dicemus; tum propter divinam na-

252. turam, quae illarum actionum moderatrix est,
unde vocantur Theandrica, idest, Deiviriles.
Ius illud ac dominium speciale Verbi in hu-
manitatem Christi, vulgò adducunt SS: Ba-
tres, tanquam veram à priori causam et ra-
tionem, cur una duntaxat sit in Christo per-
sona. Ita SS: Gregorius Nazianz. Orat. 55.
Sed 3. de Theologia. Augustinus, Ep. 137.
alias 3. ad Volus. Cyrillus Alexand. Ep. ad
Valerian. et 1. ad Ducepsum, et lib. de recta
fide. S. Maximus Martyr apud Euthymium
in Canoplia. Damascenus, lib. 3. de fide
orthodoxa. p.

232.

II.

An unio hypostatica sit
aliquid creatum.

Qui existimant, unionem hypostati-
cam esse vel qualitatem, vel modum ab
extremis unitis distinctum, consequenter
asserunt, unionem illam esse aliquid crea-
tum. Qui pariter eam non distinguunt
ab unitione, assumptione, incarnatione, id
est ab actione, quâ humanitas cum Verbo
intimè copulatur, consequenter asserunt,
eam ratione termini in humanitate recipi
ti esse quid creatum, quia actio illa Dei hu-
manitatem cum Verbo unientis externa est,
ac transiens, cujus terminus sequitur condi-
tionem Subjecti, in quo recipitur: ex vul-
gari enim Scholæ axiomate, quid quid re-
cipitur, ad modum recipientis recipitur.

Qui vero putant unionem nihil
esse ab extremis distinctum, illi consequen-
ter volunt, illam partim increatam, partim
creatam esse, pro ratione et naturâ extre-
morum, quae uniantur, nempe Verbi eter-

in creati, et humanitatis create: ubi 253.
vides proposita questionis solutionem in
equivoco esse, ac pendere ex variâ senten-
tiâ circa naturam unionis.

III.

233.

An unio hypostatica sit in
Christo naturalis et Substantialis.

Quatenus naturale et Substantiale
opponitur ficto et umbratili, atque quidpi-
am verum ac reale est, hoc sensu unio hypos-
tatica naturalis est ac Substantialis, quia
vera est et realis, non fictitia et imaginaria.
Item quatenus naturale et Substantiale idem
est ac quod à nativitate inditum est, non
labore nec arte comparatum; hoc modo
etiam unio hypostatica naturalis est, quia
humanitas a primò, quo concepta est, ins-
tanti, Verbo personaliter conjuncta fuit.

Denique naturale contra personam aliquan-
do distinguitur; unde duplex dicitur in
Christo natura, et una persona: atque hoc
sensu hypostatica unio naturalis dici potest,
quia natura, non verò persona hominis à
Verbo assumpta fuit. Non est tamen na-
turalis perverso Apollinaris aut Eutychis sen-
su, quasi ex duabus naturis post unionem
una conflata fuerit.

IV.

234.

Utrum unio hypostatica facta
sit in naturâ, vel in personâ.

Eutyches sic in naturâ unionem
factam esse contendebat sic, ut post Inar-
nationem, seu unionem una tantum su-
persuerit in Christò natura, quem errorem
S. 8. to confutavimus.

Communis Orthodoxorum Sententia est
unionem in Christo non in natura, sed in
persona proprie ac immediate factam esse.
1^o Quia unio in eo proprie ac immediate
facta dici debet, ex quo unus resultat Chris-
tus. Atqui unus resultat Christus ex unio-
ne humane nature cum una Verbi persona,
non cum una natura; alias ex duabus natu-
ris simul unitis una composita coaluisset, qui
fuit error Eutychis. 2^o Quia si unio im-
mediate facta fuisset in natura divina,
Pater et Spiritus sanctus non minus dicen-
di forent incarnati, quam Filius, cum na-
tura divina una et eadem numero sit in
tribus divinis personis.

V.
Utium Unio hypostatica sit
omnium unionum maxima.

Dignitas et magnitudo unionis hypo-
statica spectari potest, vel ex parte extremo-
rum, quae conjunguntur, vel ex parte illius,
in quo conjunguntur. atque ex utraque
parte unio hypostatica est omnium maxi-
ma. 1^o Ex parte extremorum realiter dis-
tinctorum, nature scilicet divine, et na-
ture humane. Eo enim major estimari
debet unio extremorum, quo extrema lon-
gius à se invicem distant. Sed Deus et homo
infinito à se invicem distant intervallo. Ergo
unio, per quam duo hæc extrema in unum
conveniunt, est maxima. 2^o Ex parte
illius, in quo duæ conveniunt nature, nem-
pe ex parte persone Verbi, unio pariter ma-
xima est. Nihil quippe Verbo hyperius ac
dignius cogitari potest: nihil etiam excel-
lentius ac prestantius eo bono, quod humani

3-118

tati accedit per huiusmodi Verbo personalem uni-^{255.}
onem, quâ fit, ut homo naturâ et Substantiâ
verus Deus evadat. Tam erecta est natura hu-
mana, inquit S. Augustinus*, ut quo attolleretur * lib. De predest. 55.
altius non haberet. c. 15.

VI.

236.

Utrum unio hypostatia sit
perpetua, constans, et indissolubilis.

Marcellus Anuramus, teste Eusebio*,^l * lib. 3. De Eulog. Theol.
dicit, Christum post ultimum Iudicii diem
omni suo Mediatoris ac Servatoris officio per-
functum, corpus et animam suam deponiturum,
quibus in nihilum redactis, Regnum, quod ad
illud usque tempus occupaverat, dimittet, ac
Patri suo resignabit.

Ariani, teste S. Gregorio Nazianzeno*,^m * orat. 36.
conserunt, divinitatem, audente morte
Christi, conterritam fuisse ita, ut ab ipso ante
obitum receperit.

Certum apud omnes Catholicos fidei
dogma est, ita constanti, indissolubiliq[ue] ne-
xu unitum fuisse cum humanitate Verbum,
ut eam nunquam deseruerit, aut deseraturum
omnino sit: unde aeterna dicitur in Scriptu-
ris Christi potestas, aeternum regnum, aeternum
quoque Sacerdotium. Daniel. 7. v. 14. Potestas
eius / Christi / potestas aeterna, quae non aufe-
retur; et regnum eius, quod non corrumpetur.
Luc. 1. v. 33. Regnum eius non erit finis. Et Ioan.
12. v. 34. Christus manet in aeternum. Heb. 13.
v. 8. Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sa-
cula. Et c. 7. v. 24. dixerat: Hic autem / Chris-
tus / eo quod maneat in aeternum, sempiter-
num habet Sacerdotium. Denique Gal. 1. v. 4. Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordi-
nem Melchisedech. Accedit et definitio
fidei in Concilio Chalcedonensi facta,

256. ubi utraque natura dicitur concurrere in eam-
dem personam indivisibiliter et inseparabili-
ter. Haec apud omnes orthodoxos certa sunt et
explorata.

237. Verum inter ipsos lis est de triduo mor-
tis Christi. Quocirca eundem communis ac
certa apud ipsos est sententia contra quosdam
veteres, ut Tertullianum, lib. contra Praxeam,
c. 30. Eusebium, lib. 4. Demonstr. Evang. c. 13.
S. Hilarium, Can. 33. in Matth. S. Epiphanium,
Haeresi 20. et 69. S. Ambrosium, lib. 10. in Lucam,
et in Exposit. Symb. c. 13. p. qui haec in parte vel
deserendi sunt, vel benignè, quod satius videtur,
sunt interpretandi; communis, inquam, est
apud ipsos sententia, triduo mortis Christi Ver-
bum divinum neque à corpore neque ab ani-

* Patres qui contra-
ma receperunt *

rium tueri videntur
sunt interpretandi de
separatione divinita-
tis ab humanitate ipso
mortis Christi tempo-
re, quoad singularem
divinae potentiae
influxum; siquidem
permisit Deus, Chris-
tum turpissima et
acerbissima morti
addictum fuisse.

Idem aperte declarat publicum fidei
Symbolum, in quo Christus dicitur mortuus,
sepultus, et ad inferos descendisse. Jamvis ergo
in Sepulchro Christus, quantum ad corpus, et
anima ejus ad inferos descendit: qui autem
Christum dicit, divinitatem dicit cum huma-
nitate, aut tota simul, aut cum ejus par-
tibus conjunctam. Utrumque autem istud
Symboli caput, et Sepultum esse Christum, et
ad inferos descendisse, expresse docet S. Petrus,
1. Ep. c. 3. v. 18 et 19. Christus, inquit, semel
pro peccatis mortuus est. . . . mortificatus qui-
dem carne, vivificatus autem Spiritu: in quo
et his, qui in carcere erant, Spiritibus vivens
praedicavit. Et Psal. 15. v. 10. ut et Act. 2.
v. 24. Non dabis Sanctum tuum videre corrup-
tionem. Ista autem corporis Christi mor-
ruptio non aliunde esse potest, quam ex
infirmitate ipsi ac permanente divinitate.

4. 116

258. Sente Summo Pontifice, magno animorum astu-
 gulas expendere, vel hinc et inde agitata fuit haec quaestio. Nihil à
 fideles ab illa pia credulitate, et tam Pontifice tunc pronuntiatum; Sed biennio
 to in Sanguinem Christi affectu vel tantulum dimove-
 re. Sufficiat hu ob-
 servasse, Theologos, qui pretiosas illas
 Sanguinis Christi re-
 liquias ut veras ad-
 mittunt, fateri, eas
 hypostaticè cum Ver-
 bo unitas jam non
 esse: communis fe-
 re sententia est,
 totum, qui è Corpo-
 re Christi tempore
 coenae mortis ipsi-
 us effluit Sanguis,
 à Christo redivivò
 assumptum rursus
 fuisse. Unde dicta
 particula, quae in
 quibusdam Ecclesiis
 observari dicuntur,
 vestigia potius gut-
 tarum Sanguinis
 Christi sunt, quam
 verae illius gutta.

post, Calendis Augusti, die ante obitum su-
 um 15. to Constitutione edita, sub poena
 excommunicationis litigantibus silenti-
 um imposuit, injuncta lege, ne aliqua erro-
 ris, aut alterius cuiuslibet censura nota se
 mutuo ob eam rem confingerent, donec à S. Sede
 res ea conclusa et definita fuisset: Sed hacten-
 us nihil ab eà definitum fuit, verum adhuc
 sub Iudice lis est. Inde etiamnum in duas
 partes sciuntur Theologi nostri, quarum
 una negat, affirmat vero altera; juvat
 hu utriusque partis momenta strictim
 referre.

Negans his momentis dicitur. 1.º Quia
 effusus Sanguis mutatur ac corrumpitur;
 non ergò in eo intimè unita divinitas resi-
 det. Act. enim 2. v. 29. dicitur: Non dabis
Sanctum tuum videre corruptionem. 2.º

Naturae humanae partes propter totum af-
 fununtur: Sed triduo mortis totum illud,
 quod Christus est, integrum non permansit,
 nec Christus verus homo fuit, propter separa-
 tionem animae à corpore. 3.º Unio

hypostatica ab eà Sanguinis parte, etiam
 vivente Christo, recedebat, quae calore natu-
 rali continuo resolvebatur: quanto magis
 à Sanguine effusò et separato recedere
 debuit? 4.º Aqua illa mixta San-
 guine, quae de latere Christi fluxit, haud
 dubie hypostaticam cum verbo unionem non
 retinuit; quare autem eam Sanguis reti-
 nuisset? 5.º Unio hypostatica non

5. 117

remansit cum proputio Christi. Ergo nec cum ^{259.}
effusio sanguine.

6^o Communis opi-
nio est, Verbum animam mediante carnem
et sanguinem assumpsisse: Sed triduo mor-
tis anima separata fuit à corpore. Ergo eam
mediante non potuit sanguis effusus cum
Verbo coniungi.

7^o Cum tot nu-
mero fuerint guttae sanguinis Christi tem-
pore passionis dispersae, verisimile non
est in illis singulis perseverasse hypostati-
cam unionem, quae pro numero illarum
guttarum sanguinis crescere ac multipli-
cari pariter debuisset.

8^o Ex unio-
ne hypostatica Verbi cum humanitate
sequitur idiomatum communicatio, unde
dicitur Deus natus, passus, mortuus, &c.
Atqui divi similiter non potest Deus effu-
sus: id tamen divi deberet, si in effusio san-
guine unita perseverasset divinitas.

9^o Commune istud estatum: Quod Ver-
bum semel assumpsit, nunquam dimisit,
exponi debet de partibus essentialibus,
vel integrantibus: alias dicendum foret,
etiam cum humoribus, pilis, unguibus, &c.
Verbum hypostaticè conjunctum fuisse.

10^o Denique S. Patres à nobis supra
citati, praesertim Damascenus, de corpo-
re et animam duntaxat loquuntur, non
de effusio sanguine, de quo ne verbum
quidem.

Affirmans vero sententia his mo- ^{240.}
mentis nititur. 1^o Divina frequenter tes-
tatur Scriptura, nos pretioso Christi san-
guine redemptos fuisse. Atqui haec virtus

260. et efficacia hujus Christi sanguinis non nisi
ex unione ipsius cum verbo provenire po-
test. 2^o. SS. Patres à nobis supra ci-
tati De sanguine non minus, quam De corpo-
re et animâ sunt intelligendi*.

* De tota et inte-
gra Christi carne quis Christi ab omni corruptione immunis
toto et integro cor-
pore loquuntur, positis, Non dabis sanctum tuum videre
cui divinitatem
unitam perman-
sibile declarant. corruptionem. 3^o. San-
cti Multi è SS.

Patribus sanguinem, qui ex apertâ Christi
latere fluxit, salutarem ac vivificum ap-
pedant. Ergo cum divinitate conjunctum
supponunt. 4^o. Si triduo mortis

Apostolorum aliquis Saura percipiet, uti-
que si verborum verus sanguis Christi præ-
sens factus fuisset, quamquam ab animâ tum
sejunctus, cultu Patria adorandus. At cul-
tus ille soli divinitati debetur. Ergo ne-
cesse est supponere, sanguinem illum à
divinitate tum separatum ac sejunctum
non fuisse. 5^o. Gratis omnino ac

sine ullo fundamento commune effatum
è S. Damasceno derivatum, quod semel ver-
bum p. supponitur De animâ duntaxat
et corpore debere intelligi exclusò sangui-
ne: in corpore quippe vivente sanguis tum
nutritionis, tum vitæ pars est non ignobi-
lis, imò prorsus necessaria. 6^o. Hinc

sententia apertè favent. Bins II. Clemens
VI. Paulus II. quamquam nihil eam in rem
Pontificia autoritate statuerint. 7^o.

Denique, Quamvis Deus effusus non dicatur,
sicut dicatur sanguis effusus; non tam inde
sequitur, Deum cum effusò sanguine con-
junctum non fuisse, nec in Christo locum
habere idiomatum communicationem:

261. 6. 118
sed hoc unum, quod scilicet, cum ista idioma-
tum communicatio cadat in totum suppo-
situm, nec ab aliqua duntaxat parte, sed
à tota et integrâ humanâ naturâ sum-
tur, sanguis autem sit tantum pars corpo-
ris humani non totum corpus, multo mi-
nus tota humana natura; consequenter
Deus effusus aptè non diceretur, licet rectè
dicatur sanguis effusus.

VII.

241.
An Christus dici possit com-
positus.

Tota in equivocò ac nominis expositio-
ne posita est ista questio. Duplex dis-
tinguitur compositio, una qua fit ex par-
tibus propriè dictis incompletis, mutuam ad
se invicem habitudinem dicentibus ad to-
tum aliquod efficiendum; quarum una se
habet per modum actus, altera verò per mo-
dum potentie; hoc modo homo componitur
ex animâ et corpore, tanquam materiâ
et formâ*. Ex huiusmodi partibus compo-
situs non est Christus, tum quia qua-
libet natura in Christo completa est ac per-
fecta, non pars propriè dicta et incompleta,
qua cum aliâ totum aliquod efficiat: Non
duae una fiunt essentia in Christo, ait S.
Athanasius*. Tum quia natura utraque
etiam post unionem inconfusa et imper-
mixta remanet. Quod si è veteribus
nonnulli aliquando dixerint, divinitatem
et humanitatem esse partes Christi; par-
tium nomen impropriè usurpant, quate-
nus scilicet in unum et idem suppositum
confluent natura ambæ, divina et hu-
mana.

* nuncupatur com-
positio ex his

* apud Eutymium
in Panopliâ part.
2. tit. 15.

* Dicitur composi-
tio cum his.

Altera vero compositio fit, quoties
est distinctorum unio; et vulgò dicitur
compositio per modum numeri; numerus
enim importat multitudinem unitatum. Nihil
proinde officere videtur, quin Christus hoc mo-
do compositus dicatur. Neque enim veteres
ubi ipsis de Christo sermo fuit, compositio-
nis nomen refugerunt, ut Concilii V. Oecum-
nienici Patres, collat. 8. Anathematismo 4.
S. Cyrillus, lib. de verâ fide ad Theodosium,
qui laudatur Act. i. Concilii Ephesini. S. Ma-
ximus, tract. contra unam naturam. Sophro-
nius, Ep. ad Sergium. S. Damascenus, lib. 3.
de fide orthod. et alii bene multi, qui datâ
operâ compositum Christum dicunt, ut adversus
Eutyrianos ostendant, duas esse in Christo in-
confusas et impermixtas naturas. Ratio suf-
fragatur; quia ad compositionem sufficit dis-
tinctorum unio. Atqui sunt in Christo due
naturæ distinctæ in unâ Verbi personâ.
Ergo, p.

VIII.

242.

An Subsistentia sit
aliquid à Substantiâ seu
naturâ distinctum.

Quid nomine Subsistentia intelli-
gatur tum in Metaphysicâ nostrâ, part.
i. c. 3. tum supra tract. de Deo, part. 2.
c. 4. S. i. sufficienter exponimus.

Cum verò in mysterio Incarnationis
Substantia seu natura humana propriâ careat
Subsistentiâ, atque per Verbi divini Subsisten-
tiam duntaxat Subsistat: quorundam igitur
hæc Theologi, quâ ratione Subsistentia à na-
turâ distinguatur. Sunt, qui velint, Subsisten-
tiam nihil aliud esse, quam Substantialem

rsi existentiam. At obest 1^o Quia in Deo tres
 sunt Subsistentiae, unica vero Substantialis ex-
 istentia. 2^o In Christo humanitas propri-
 am habet existentiam, non autem propriam Sub-
 sistentiam. 3^o Alia est ratio existentia
 et alia Subsistentia; per existentiam res est ex-
 tra nihil, per Subsistentiam vero in se a se
 Subsistit. Alii volunt Subsistentiam
 consistere in negatione unionis Substan-
 tialis cum alio Ente perfectione, à quo
 Substantialiter perficiatur et compleatur,
 unde cum natura humana in Christo Ver-
 bo Divino uniat in ipsius personam atque
 ab ipso perficiatur, cessat in eadem na-
 tura humana hac unionis negatio, adeo-
 que propria caret Subsistentia. Verum
 obesse videtur, quod Subsistentia sit quæ
 ponitur, cum sit ultimum natura com-
 plementum.

Alii contendunt, Sub-
 sistentiam esse modalem entitatem à
 Substantia realiter modaliter distinctam.

Sed huic opinioni officit 1^o Quia natu-
 ra humana in Christo est perfecta, nec
 ulla caret entitate naturali; Christus et-
 nim perfectè nobis similis fuit, exceptò
 peccatò.

2^o Entitas illa natura Super-
 addita inutilis ac superflua videtur, quia
 sine illa exponi potest, quomodo natura
 per se Subsistat.

3^o Subsistentia est
 naturæ totalitas: sed totalitas illa non
 est entitas Superaddita.

Alii deni-
 que asserunt, Subsistentiam esse ipsammet
 naturam, prout sui Iuris est, non alieni,
 adeoque nonnisi virtualiter tantum à Sub-
 stantia distinctam esse. Hanc sententi-
 am amplexi sumus in nostrâ Metaphysi-
 câ part. 1. c. 3. Ratio est 1^o Quia Sub-

7 119

264. Subsistentia est natura incommunicabilitas alteri tanquam Supposito. Sed illa incommunicabilitas est ipsa met natura ultimo completa et per se terminata. Sicut enim Substantia per se, nullo Superaddito, incommunicabilis est alteri tanquam Subjecto inhaesionis, et alteri tanquam compati, quia Substantia, quando completa est, ex se apta non est inhaerere alteri, et tanquam compars uniri; ita quoque per se ipsam singularis est, et incommunicabilis alteri tanquam Supposito. 2^o. Cum Substantia alteri nobiliori non unitur, nec alterius sed sui juris est, tunc per se, nullo Superaddito, Subsistere censetur. Ergo humanitas Christi ideo per se non Subsistit sua propria Subsistentia seu personalitate, quia non sui sed alieni juris est. 3^o. Nihil omnino desert natura humana in Christo, nec quidquam impedit, quominus sit persona, nisi quod hyprostatice Verbo Divino sit unita: unde si ab eo dimitteretur, statim, sine ullius entitatis additione, rationem personae appet habitura: sicut brachium à corpore absissum sine ullius entitatis adjectione fit totum et Suppositum aliquod; è contra aqua gutta in Oceanum immissa, absque ullà entitatis suae jacturà desinit esse totum, et Oceani pars evadit.

Videtur ergo, quod Subsistentia virtualiter tantum à Substantia distinguitur, quatenus scilicet haec sine illà concipi et aliam nobiliorem connotare, et sic connotando desinere esse sui juris, exemplò Digiti inflexi, qui quamvis sine inflexione esse possit, tamen realiter entitative ab eà non distinguitur, sed tantum connotative, prout

Sicut Digitus inflexus tali, et non alii, ^{265.}
respondet.

IX.

243.

An plures divinae personae
possint eandem assumere huma-
nitatem aut plures: vel una persona plu-
ribus uniri.

Parvis hanc Scholae hypothesis expe-
ditur, haec omnia sicut nobis non viden-
tur impossibilia. Divina una videtur esse
repugnantia, aut ex parte divinarum per-
sonarum assumptam, aut ex parte na-
turae creatae assumptae. Non ex parte di-
vinarum personarum, quae infinitam ha-
bent ad terminandum virtutem: et re ipsa
in mysterio SS: Trinitatis tres divinae perso-
nae eandem numero divinam terminant
essentiam. Non ex parte naturae as-
sumptae: illa enim licet ex se non nisi unam
eandemque ordinis naturalis Subsistentiam
exigat, nihil tamen obstat videtur, quo-
minus re ipsa plures actu habeat Subsist-
entias Supernaturales; non quod eas exi-
gat, sed quod ex potentia obedientiali eas
recipiat.

X.

244.

8 120

An congruum magis ac consen-
taneum fuerit, Verbum incarnari,
quam Patrem aut Spiritum Sanctum.

Solum Verbum incarnatum fuisse,
fides nos docet: id igitur omnis rationis et
argumenti loco esse debet; magis congruum
ac consentaneum fuisse illud incarnari, quam
Patrem, aut Spiritum Sanctum. Varia ta-
men hujus rei causa et rationes à SS: Patri-
bus afferuntur. 1^a Ne appellatio Filii

266. ad aliam transiit personam, et quadam in
S. Trinitatem redundaret in eadem confusis,
si duo filii dicti fuissent, unus aeternus et
inreatus, alter temporalis in tempore pro-

z
* Gennadius, de dog-
mat. Eccl. c. 2.

Ductus*. 2^a. Cum per Verbum omnia
facta sint, atque ipsi per quamdam appropria-
tionem rerum creatio tribuatur, consenta-
neum fuit hominem per Verbum reformari
ac reparari, à quo conditus fuerat*. Decebat
enim, inquit Apostolus, Heb. 2. v. 10. propter
quem omnia, et per quem omnia, qui mul-
tos filios in gloriam adduxerat, auctorem ta-
bitis eorum per passionem consummare.

u
* S. Leo, serm. 12. de
Passione Domini.

3^a. Verbum Dei sapientia est, ratio sub-
sistens ac personalis. Ergo congruum ac con-
sentaneum fuit, hominem, qui sapientia
Dei formatus fuerat, ac in tantam subinde
dementiam lapsus est, ut similis factus sit
jumentis insipientibus, sua primarce
rationi ac sapientia per Verbum Dei resti-
tuiti.

4^a. Homo ad imaginem Dei fac-
tus est, quam peccato miserè deformavit.
Ergo consentaneum fuit, priora illa imagi-
nis deformata lineamenta reparari ab eo,
qui naturam suam est imago Dei invisibilis,
ac character substantiae ejus.

XI.

245.

An Verbum Divinum humani-
tatem per se subsistentem, seu perso-
nam hominis assumere potuerit.

Verbum Divinum hominis personam
non assumpsisse, supra d. 5. to contra Nes-
torium ostendimus. Quærent hi ergo Theo-
logi num saltem eam assumere non po-
tuerit? Nos id impossibile fuisse asse-
rimus. 1^o. Quia implicat in terminis,

268.
246.

XII.

An Verbum divinum assump-
serit naturam universalem ab om-
nibus individuis abstractam, an sin-
gularem.

Præsenti quæstioni locum dedit
videntur ex Veteribus nonnulli, qui non-
nunquam asserunt, Verbum assumpsisse na-
turam communem. Ita Marius Victorinus
lib. 3. contra Arium. S. Damascenus, lib. 3. de
fid. orth. c. 8. Verum naturam duntaxat
singularem à Verbo fuisse assumptam hæc
ratio invictè demonstrat: Quia sibi est Ver-
bum assumpsit aliquid reale ac positivum.
Atque natura universalis ab omnibus indivi-
duis abstracta, non nisi per mentem abstra-
hentem subsistit: sola quippe natura sin-
gularis et individua quid reale ac positivum
est. Ergo hæc assumpsit Verbum. Et verò
Christus est hic homo, non omnis homo. Ergo
naturam singularem assumpsit, non univer-
salem.

Veteres ergo, qui nonnunquam asse-
runt, Verbum assumpsisse naturam commu-
nem, loquuntur de communitate physica,
quia Verbum assumpsit naturam nostræ pro-
prie similem ac consubstantialem; non de
communitate universalitatis Logice, quæ
merus est mentis foetus. Vel intelligendi sunt
de assumptione morali, quia omnes homi-
nes unum quid sunt in Christo, veluti mem-
bra in suo capite, à quo Spiritum vitæ
spiritualis percipiunt.

247.

XIII.

Utrum Angelica natura, vel
etiam irrationalis potuerit à Verbo
assumi.

Naturam Angelicam perinde ac hu-
manam à Verbo assumptam fuisse, nonnulli,

De quibus Tertullianus, lib. de carne Christi, existimasse videntur. Origenes, teste S. Hieronymo, Ep. ad Avitum, censuit Christum etiam in aere, et in supernis locis aliquando passurum pro Daemonum salute. Quibus figmentis aperte contradicit Apostolus, Heb. 2. v. 16. Nusquam, inquit, Angelos apprehendit sed semen Abrahae apprehendit.

Equidem certum est, Verbum Divinum, si voluisset, potuisse sibi naturam Angelicam in unitatem suppositi conjungere; non enim magis repugnat Angelicam naturam à verbo assumi, quam Humanam; imò major, si dicere fas est, videtur esse repugnantia ex parte humana, quam Angelica natura. Cur vero eam non assumpsit, cum id à libera Dei voluntate pependit, non certo sed ex conjecturis duntaxat definiri potest, quarum 1^a hæc esse potest; Divina gravior fuit Angelorum culpa, quam hominum. Eò quippe gravior culpa est, quò perfectior natura.*

* S. Aug. Tract. 110. in Joan.

2^a Divina licet et Angelus et homo Superbiâ lapsus fuerit Superbiâ Angelorum aucepit invidia: Angeli non tantum inobedientia rei fuere, sed et suasores, homines ad peccandum impellendo. Serpens, id est Demon sub specie serpentis, Decepit me, inquit Eva Genes. 3. v. 13.*

* S. Aug. lib. 3. de lib. arb. c. ult.

3^a Cum homo sit Angelicò longè magis versatilis ac mutabilis, eo etiam reparationis magis capax fuit: Angeli enim in proposito tenaces sunt et constantes, unde à lapsu erecti ac reparati non fuerunt.*

* Jobius apud Chalcidius.

4^a Divina non omnes Angeli lapsi sunt, sicut in lapsu unius Adami omnes homines inclusi fuere, in quo om-

^{270.}
* S. Anselmus, lib. i.
cur Deus homo,
c. 21.
* Idem ibid.

nes peccaverunt.* 5^a Inia in Angeli-
cā naturā non potuisset, sicut in humanā,
Christus mori.*

Ceterum videt hū quæstionem mo-
vere, num Verbum naturam irrationalem
assumere potuisset, ut pote quæ per se se
absurda sit et insulsa; quasi brutum
animal assumi unquam posset in unita-
tem divina persona, ac consequenter Deus
naturā et Substantiā fieri, sicut homo
Christus Verbo hypostatice conjunctus, Deus
est, ac dicitur; quasi proprietates utrius-
que nature, tum bruti tum Dei, de unā
et eādē personā predicari unquam possent!
Verum hoc omittamus, à quibus refugiant
aures Christianæ.

248.

XIV.

An Verbum immediate carnem
assumpserit, an vero animā mediante.

Animas ante corpora creatas esse
existimavit Origenes, verum hac illius de
præexistentiā animarum sententiā ab Ec-
clesiā semper fuit rejecta: Speciatim vero
præexistentiam animæ Christi damnat
Justinianus Imperator, Ep. ad Memnam,
quam à Vigiliō Papā approbatam fuisse
testatur Liberatus. De hoc ipso errore loqui-
tur S. Damascenus, lib. 4. de fid. orth. c. 6.
Et sanè Verbum Divinum nullo temporis
instanti prius assumpsisse animam quam
Corpus, ipsa S. Scriptura manifestè de-
clarat, Luc. 1. Quod ex te nasceretur Sanctum,
vocabitur Filius Dei. Non ergo prius Chris-
tus existit quantum ad unionem utriusque
nature, quam natus sit ex Mariā Virgine:
humana porò natura animam includit

humanam. Ergò non prius existit anima 271.
Christi, quam eius humana natura. Hoc ip-
sum evincunt verba hæc planè decretoria
Joan. i. Verbum caro factum est. Ubi enim,
ait S. Augustinus, hoc factum est? nisi
in utero virginali, ubi fuit initium homi-
nis Christi.

Adstipulantur reliqui S. Patres
Athanasius, lib. i. de Incarn. contra Apol-
linarium, n. 4. Cyrillus Alexandrinus,
Ep. 2. ad Nestorium. Theodoretus, Dia-
logo 2. Fulgentius, lib. de fide ad Be-
trum c. 18. Denique, ut alios plures omit-
tamus, S. Leo, Ep. 25. alias 11. Natura nos-
tra, inquit, non sic assumpta est, ut prius
creata, post assumeretur; sed ut ipsa assump-
tione crearetur.

Accedit etiam manifesta ratio.
Anima Christi ejusdem planè fuit cum nos-
træ conditionis. Atqui anima humana
non prius creatur, quam corpori infundatur,
sed infundendo creatur, et creando infundi-
tur. Hoc unum discrimen occurrit,
quòd in humanâ et ordinariâ generatio-
ne paulatim, et quasi per gradus mate-
ria disponatur ac preparatur, organa aptè
conformantur; Christi corpus vero, ope-
rante Spiritu Sancto, statim et prepara-
tum et perfectum fuit.

Nihilominus ex S. Patrum, ut 249.
Gregorii Nazianzeni, Orat. i. 35. et 51. seu
Ep. ad Cledonium. S. Ambrosii, Trait. de
Trinit. c. 13. Ruffini in Symbolum. Au-
gustini, Ep. 137. alias 3. ad Volus. Item Ep.
140. alias 120. c. 4. Gregorii Magni, lib.
18. Moral. c. 20. alias 12. Et ante ipsos,

Col 3 p 123

272. Origenis, lib. 2. de principiis c. 6. Sententia
Verbum Divinum carnem assumptit ani-
mā mediante; adeoque prius, priorita-
te natura aut quasi natura, assumpta
est anima, quam caro. Ratio est 1.^o
Natura Spiritualis perfecta et completa,
quae nata non est ut sit alterius pars, non
potest cum substantiā corporeā se ipsā
immediate conjungi. 2.^o Divinitas
ex se ipsā veritas, sapientia et sanctitas
est. atqui caro immediate ac per se in-
capax est veritatis, sapientiae et sanctita-
tis. 3.^o Deus longe facilius attingitur
operatione quam substantiā. Ergo cum
substantia materialis ac corporea opera-
tione suā Deum attingere non possit, eo
minus substantia eum attingere potest. 4.^o
Substantia corporea non nisi animā inter-
ventu gratiae et sanctitatis capax est. Er-
go nec increatam ac substantialem Di-
vinae personae gratiam, non nisi animā
mediante, percipere potest. 5.^o Non
corpora, sed animae Iustorum dicuntur
esse sedes sapientiae et sanctitatis. 6.^o
Vis tota Incarnationis Divina ita est
in altissimā Divinitatis in naturam as-
sumptam in incarnatione. atqui hoc im-
meatio Divinitatis in carnem vix intel-
ligi potest sine interventu animae spiri-
tualis. Ergo, p.

Idonea maxime visa est haec do-
ctrina confutandis tum Paganis Myste-
riis hoc invidentibus, tum Apollinaris-
tis Christum animā humanā spolianti-
bus. Et verò, si non potuit Divinitas

273.
cum humanitate, nisi animam mediante, co-
pulari, omnino necesse est animam huma-
nam in Christo agnoscere.

Quod vero Paganos spectat, isto impi-
mis argumentis Inarnationem iridebant
quod fieri non posset, Spiritum simplicis-
simum, qualem Deum agnosunt et ado-
rant Christiani, intimè uniri cum crasso cor-
pore.

At reponebant Ecclesie Docto-
res 1^o animam humanam, qua Spiritua-
lis est, intimè tamen uniri cum humano
corpore. 2^o Deum, non nisi mediante
animam Spirituali, humano corpore copu-
laturum fuisse, ac consequenter nullam ex
illà unione manulam contraxisse. Et verò
si anima hominis ex commercio seu societa-
te cum corpore non foedatur nec polluitur,
multò minus Deus ex huius unione cum animam
humanam: minor quippe Disproportio est,
saltem ratione nature Spiritualis, inter
Deum et animam, quam inter animam et
corpus.

S. Novus.

250.

De Communicatione idioma-
tum in Christo, an, et quae sit ad-
mittenda.

Idioma nomen graecum Latine
redditur idem est ac proprietas. Est
igitur idioma tum communicatio,
mutua et reciproca. nominum, attribu-
torum et proprietatum, utriusque in
Christo nature praedicatio et communio.

Haec idioma tum communicatio
duplicitè considerari potest, vel secundum

295.
tio est, quia in priori propositione, vox Homo
Suppositum humanum adeoque creatum denotat,
ac sensus est, humana persona, id est homo
factus est Deus: in posteriori vero propositi-
one, vox Deus Suppositum divinum exprimit,
de quo verum dictum est, Deus factus est homo,
sen Verbum caro factum est.

2.^a cau-
tio est, ut nulla fiat reduplicatio. Hujus con-
ditionis defectu falsa sunt istae propositi-
ones, Christus quatenus Deus, homo est, natus
est, passus, mortuus: Item, Christus quate-
nus homo, Deus est, immensus est, impassibi-
lis &c. Ratio est, quia particula reduplicati-
va quatenus ipsam naturam afficit, non per-
sonam, sensusque esset, Christus ratione
natura divina homo est, &c. pariter, Christus
ratione humanitatis Deus est, &c. qui sensus
falsus est et absurdus.

3.^a limitatio
est, ut propositio, tametsi aliunde vera, erro-
ri tamen vel haeresi favere non videatur; at-
que ita licet aliqui Veteres Christum aliquan-
do creatum, vel creaturam appellaverint, non
tamen simpliciter ac nude admittenda est
ista propositio, Christus est creatura: quia
errori Arianorum faveret. Similiter haec Mo-
nacho-um Sytharum sub Hormisda Papâ
propositio, Unus de Trinitate passus est, etsi
in rigore Theologicis vera sit, non tamen sim-
pliciter enuntianda est, quia sic Eutychiano-
rum errori favere videretur, sed cum additis,
nempe Unus de Trinitate passus est carne,
id est, in natura humanâ. Ratio est, quia
praedicata Substantiva, quae aliquam natu-
ra defectum important, ac personae non mi-
nus quam natura possunt imputari, sim-
pliciter de Christo enuntianda non sunt,

276. sed factâ quadam restrictione: alias defectus aliquis de personâ Christi enuntiaretur, qualis est v.g. creaturam appellari, aut filium Dei adoptivum. Dicitur ergo debet, Christus ratione humanitatis est creatura, p. Non ita est de prædicatis, quæ propriè ac primariò naturæ conveniunt, personæ vero denominativè, quæ sunt propositiones istæ, Christus est passus, mortuus, p. Ratio est, quia actiones et passiones propriè sunt naturæ, denominativè autem personarum seu suppositorum, sicut alibi jam observavimus.

252. Secunda Regula. Concreta adjectiva substantivalia, quæ substantiam designant, non possunt prædicari de Christo. Sic non probantur istæ propositiones, Christus est homo Dominicus; est homo Deificatus, est homo Deifer, p. Ratio est, quia tales propositiones in sensu Nestorii à SS. Patribus damnatæ fuerunt: quamquam ab aliquibus veteribus sive ante heresim Nestorii, ubi securi loquebantur, et nullus auderat hostis; sive post, adjectâ nempe aliquâ explicatione, usurpatæ fuerint: Deinde hujusmodi concreta adjectiva inmere videntur formam accidentaliter tantum subjecto seu supposito unitam esse; unde dictarum propositionum hic sensus esse videretur, Christus naturam divinam unione tantum morali et accidentali sibi copulatam et conjunctam habet; qui sensus est Nestorianus.

253. Tertia Regula. Concreta adjectiva, quæ significant proprietates divinæ vel humanæ naturæ, possunt de Christo prædicari. Sic legitime dicitur: Christus est æternus et temporalis, finitus vel infinitus,

Calyp 125

mortalis et immortalis. Ratio est, quia ^{277.}
predicata illa denominative in recto signifi-
cant suppositum, quod illorum attributo-
rum seu predicatorum, propter unionem
hypostaticam utriusque naturae, unum est
Subiectum.

Verum haec in concreto idiomatum ^{254.}
communicationis nullam post eversam Nesto-
rii haeresim amplius patitur difficultatem,
ut quae ab omnibus, qui Christiano utuntur
nomine, ultro admittatur. At quantum
ad communicationem idiomatum in abstra-
cto controversia est Catholicos Theologos inter
et Lutheranos. Catholici tuentur, eam
in abstracto et respectu naturae admitti nul-
latenus posse; at contra affirmant
Lutherani. Hi existimant sibi et, ali-
quas naturae divinae proprietates in huma-
nam naturam vere transfusas fuisse, v.g.
immensitatem, ubi-quitatem, seu ubique
praesentiam, omnipotentiam, omniscien-
tiam.

Insuper profecto hic error est, quem
primo asseruit Lutherus in Confessione
de coena Domini, atque latius subinde
propagavit Brentius, Ubiquistarum idcir-
co quasi parens habitus. Non ad omnes ta-
men Lutheranos tam absurda opinio per-
vasit. Errori occasionem dedisse videtur
controversia inter Lutheranos et Calvinistas
excitata circa realem corporis et sanguinis
Christi in Eucharistia praesentiam. Nempe
cum Lutherani ex istis Christi verbis, Hoc est
corpus meum, satis sibi praesidii non esse
intelligerent ad debellandos Calvinistas,

278. aliunde verò articulo Ascensionis Christi in coelum premerentur, ad dogma Ubiquitatis velut ad tutissimum portum se contulere contendendo corpori Christi hanc vim inditam fuisse, ut sit ubique, quemadmodum ubique est Verbum hypostatiè cum Corpore Christi conjunctum. Sic aliquas divinae naturae proprietates in naturam humanam, si unionis hypostatiæ, transfusas fuisse docere compulsi sunt. Contra ipsos proinde sic

255.

Conclusio

Non est admittenda communicatio idiomatum in abstracto, proprietatum scilicet naturae divinae respectu humanae; multò minus proprietatum naturae humanae respectu divinae. Unde prois falsa sunt ista Lutheravorum propositiones, Humanitas Christi est ubique, et omnipotens, &c.

Prob. 1.^o Ex S. Scripturae testimoniis, quibus apertum est, humanitatem Christi ubique non fuisse; sed certò locò, quantum ad corpus, circumscriptam fuisse, sive in statu mortalis idius vita, sive in statu exaltationis et gloria. Non in primò statu: apertè quippe Scriptura significat Christum ubique non fuisse, sed de loco in locum transfisse. Joan. ii. v. 15. Christus dicebat: Lazarus mortuus est; et gaudeo propter vos ut credatis: quoniam non eram ibi. Ibid. v. 21. Domine, ait Martha, si fuisset hic, frater meus non fuisset mortuus. Matth. 28. v. 6. Jesus, qui crucifixus est, quaeritis: non est hic, surrexit. Ibid. c. 26. v. 11. Semper pauperes habetis vobiscum, inquit Christus, me autem non semper habetis. Joan. 16. v. 28. Exivi

279. *col. p. 126*
à Patre, ait iterum, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.

Luc. 24. v. 51. Accepit ab eis, et ferebatur in coelum. Neque etiam in statu gloria et exaltationis Christus corporaliter ubique est, sed in coelo. Joan. 14. v. 11. Jam non sum in mundo, ait Christus: hoc est, Brevi discessurus sum à mundo. Relinquo mundum, ut non dixerat, et vado ad Patrem. Act. 3. v. 21. Quem / Christum: / oportet coelum suscipere, usque in tempora restitutionis omnium. Denique Heb. 8. v. 4. Si ergo esset super terram, nec esset Sacerdos, cum esset, qui offerrent secundum Legem munera.

Prob. 2. d. ex SS. Patribus. S. Am- brosius, lib. 2. de Fide, c. 4. in hac Chris- ti verba, Surgite eamus, sic loquitur: In eo ergo vadit et venit, quod est commu- ne nobisum. S. Chrysostomus, in

hac Evangelii verba: filius hominis qui est in coelo haec ait: Non de carne loqui- tur, sed à summa substantia seipsum denominat. S. Cyrillus Alexandri-

mus, lib. 11. in Joan. c. 21. Inare, ait, cum Deus et homo Christus verè sit, oportuit /: Apostolum / inteluisse ineffabili Dei potestate una cum eis semper futu- rum, etiamsi carne abesset. S.

Augustinus, Ep. 187. alias 57. ad Darda- num, ubi de Christo ait: Secundum hanc formam /: humanitatis: / non est gitan- dus ubique diffusus..... una enim perso- na Deus et homo est.... ubique per id

quod Deus est, in Caelo autem per id quod homo.
 S. Leo Magnus, Serm. 2. De Ascensione. Ineffabili ait, modo per ascensionem coepit esse divinitate presentior, qui factus est humanitate longinquior.

Prob. 3^o. Quia Ubiquitatis doctrina pugnat cum multis fidei ac Religionis Christianae articulis: cum nativitate Christi ex utero Virginis Beatae: cum ejus morte, Sepultura, ad inferos descensu, resurrectione à mortuis. Quippe si ubique verbum est, ibi est Christi humanitas, quomodo ex utero B. Virginis in lucem exire potuit? Quomodo mortuus, si anima semper cum corpore perinde ac cum verbo unita fuit? Quomodo jam in Sepulchro corpus exanime, cum totus ibi Christus foret? Quomodo descendit ad inferos, ubi jam erat? ascendit in Coelum, quod non deseruerat?

Prob. 4^{to}. Rationibus Theologicis. ja Sicut natura duae in Christo distinctae sunt, nec de se invicem in abstracto praedicari possunt, ita et in eo sunt distinctae proprietates; nec una de altera praedicari potest. Sic Divi non potest, Divinitas est possibilis, humanitas est impossibilis.

2^a. Aut omnes divinae naturae proprietates possunt humanitati communicari, aut nulla. Atqui ne Lutherani quidem concedunt, omnes divinae naturae proprietates eidem communicari posse. Ergo nulla possunt ei communicari: non enim potior ratio est pro una quam pro altera, cur v. g. ubiquitas potius quam aeternitas communicetur.

3^a. Non magis proprietates Divinae 282.
possunt homini communicari, quam huma-
nae Deo. Atqui fatentur Lutherani, proprie-
tates humanas, v.g. passibilitatem, muta-
bilitatem, &c. Deo convenire non posse.
Ergo fateantur etiam necesse est, divinas
proprietates humanitati communicari non
posse.

4^a. Implicat corpus, quod in suo
statu naturali circumscriptum, esse ubi-
que. Atqui corpus Christi, dum in terris
degebat, in suo naturali statu erat, ac loco
circumscriptionum. Ergo.

Solvuntur Objectiones
Contra positam Conclusionem.

256.

129
Col 3 p 17

Ob. 1^o. Christus est ad Dexteram Dei,
juxta illud Rom. 8. Christus Jesus... qui
est ad Dexteram Dei. et Matth. 27. v. 44.
Sedet ad Dexteram Dei. Atqui Dexteram
Dei est ubique. Ergo Christi humanitas
est ubique.

Resp. 1^o Retorq. arg. Anima Justo-
rum dicuntur esse in manu Dei, Sap. 3. v. 1.
atqui manus Dei est ubique. Ergo et anima
Justorum sunt ubique; quod falsum est.

Resp. 2^o. Dist. maj. Christus est et
Sedet ad Dexteram Dei ratione Suppositi et
personae, con. praes. ratione naturae, neg.
maj. Aliud ponit est Sedere ad Dexteram
Dei, et aliud esse Dexteram Dei: istud ni-
hil aliud denotat, quam omnipotentiam
et majestatem ipsam Dei; Sedere vero ad
Dexteram, idem est, ac officium Mediato-
ris exercere, ad quod exercendum omnis po-
testas et Dominatio Christo concessa fuit. Opor-
tet illum regnare, ait Apostolus, 1. Cor. 15. v. 25.
Donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.

282. Regnare autem ad personam pertinet, non ad naturam. Vel hi textus etiam significant, quod Christus ut homo quiete et in perpetuum possideat summam dignitatem et auctoritatem in omnes creaturas.

257. Ob. 2^o Matth. 11. Omnia, inquit Christus, mihi tradita sunt à Patre meo. Ergo et Ubiquitas, p.

Resp. Christus hoc dicit de se ipso secundum divinitatem; et significat se omnia accepisse à Patre per generationem aeternam: ac proinde se, prout est Deus, esse in omnibus aequalem Patri.

258. Ob. 3^o Matth. 28. v. 18. Data est mihi, inquit Christus, omnis potestas in Caelo et in terrâ. Ergo ut homo est omnipotens.

Resp. neg. cons. De Christi persona hic sermo est, non de illius humanitate. Quamquam si de hac esset sermo, apertus sensus esset, datam nempe ei illam omnem potestatem, cuius illa capax est: majorem quidem et abundantiorum comparatè ad nos, sed tamen finitam pro conditione et capacitate subjeti, quam providè in omnes creaturas exercere potest, etiam si non sit ubique.

259. Ob. 4^o Matth. 18. v. 20. Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ait Christus, ibi sum in medio eorum. Etc. 28. v. 10. Ece ego, inquit, vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Ergo est ubique.

Resp. neg. cons. Promittit Christus se adfuturum, quoties duo vel tres in ejus nomine congregabuntur, non quidem præsentia corporali, sed auxilio gratia, protectione auctoritate, Directione, quâ etiam

Apostolis et eorum Successoribus Spondet ad-^{283.}
futurum. Unde fit, ut adversus Ecclesiam, seu
Ecclesia Pastores Ecclesiam representantes,
potest inferri prevalere nunquam possint.

Ob. 5^{to} Coloss. 2. v. 9. De Christo ait 260.
Apostolus: In quo inhabitat plenitudo Divi-
nitatis corporaliter. Ergo et Ubiquitas, p.

Resp. neg. cons. Sensus textus est,
quod Divinitas verè, realiter, per substan-
tialem sui cum humanitate unionem in
Verbi personalitate in Christo inhabitet,
non verò fictè, non figuratè, nec per me-
ram efficaciam aut assistentiam. Sed
quid inde in gratiam Ubiquitatis humani-
tati Christi concessa? nihil omnino.

Ob. 6^{to} Ephes. 4. De Christo ait 261.
Apostolus: Ascendit Super omnes coelos,
ut impleret omnia. Ergo est immen-
sus, quidni etiam ubique?

Resp. neg. cons. Christus eo sensu
implevit omnia, quod ejus in coelos as-
censio complementum fuerit omnium,
Oraculorum, quae de eo à Prophetis edita
fuerant.

Christus etiam secundum
humanitatem verè loca omnia, nempe
infima, media, et Suprema suscipi-
tinae praesentia, virtute, gloria, victo-
ria, triumpho implevit, in terrâ
cum hominibus conversando, eosque
redimendo, post mortem ad inferos des-
cendendo, et post Resurrectionem ad
coelos ascendendo.

Ob. 7^{mo} Verbum Divinum est ubi-^{262.}
quo, Atqui Christus est Verbum Divi-

628/28

284. num. Ergo Christus est ubique. Ergo et eius
humanitas.

Resp. vitiorum esse istum Syllogismum,
in quo plures sunt, quam tres termini.
In majori quippe propositione, Verbum sup-
ponit pro sola natura Divina; in minori
vero Christus duplicem includit naturam, di-
vinam et humanam; secundum divinam, seu
prout Deus est, ubique est, non vero quate-
nus est homo. Distinguenda igitur est mi-
nor propositio: Christus est Verbum incarna-
tum Duplici constans natura, conc. Non in-
carnatum, neg. min.

263.

Ob. 8^o eorum, quae intimè et
indissolubili nexu uniantur, unum sine
alio esse non potest. atqui Verbum et hu-
manitas in Christo intimè et indissolubili
nexu uniantur. Ergo unum sine alio esse
non potest. atqui Verbum ubique est.
Ergo et humanitas.

Resp. 1^o Retorq. arg. contra Luthe-
ranos. eorum, quae intimè uniantur unum
non potest esse aeternum, impossibile, im-
mortale, quin alterum similiter aeternum
sit, impossibile et immortale. at-
qui Verbum unitum humanitati aeternum
est, impossibile, immortale. Ergo simi-
liter et humanitas aeterna est, p. p.

Resp. 2^o Dist. maj. eorum, quae
intimè uniantur, unum sine alio esse non
potest; si intimè et adequatè uniantur, ita
ut unum alium non excedat, seu eo latius
non pateat, conc. Si intimè uniantur, sed
non adequatè, quia unum alio latius patet,

neg. maj. Sic v.g. oculus et anima intimè
uniuntur; nec tamen oculus est, ubi-
que est anima: hoc enim sua virtute et im-
perio per totum corpus diffusa est, oculus vero
et unumquodque aliud corporis humani mem-
brum, suum fixum ac determinatum lo-
cum habet et occupat. Porro divinitas lon-
gè latius patet ac extenditur, quam huma-
nitas, cui intimè coniungitur. Non est con-
sequens, ait S. Augustinus*, ut quod in Deo #loc. sup. cit.
est, ita sit ubique ut Deus.

285.

Ob. 9^o. Si humanitas Christi non
est ubique cum verbo, Verbum alicubi non
est homo, ibi nempe ubi non est humani-
tas. falsum consequens, quia sequeretur
Verbum humanitatem, quam assumpsit,
alicubi dimittere seu deponere. Ergo, p.

Resp. neg. sequel. maj. Nam hæc
diversa sunt, nec unum ex alio sequitur. Ita-
que Verbum alicubi est sine sua huma-
nitate, quia Verbum immensum est secun-
dum divinitatem, non secundum huma-
nitatem, quæ cum sit entitas limitata,
certò aliquò loco circumscribitur. Verbum
tamen est ubique Verbum = homo; qua-
vis ubique non sit cum sua humanitate,
quia ut Verbum sit ubique Verbum = homo,
satis est, ut alicubi sit cum humanitate
sibi substantialiter unita.

Ob. 10^o. Si humanitas Christi
non sit ubique, Verbum movebatur loca-
liter, quando humanitas movebatur. at-
qui hoc est absurdum. Ergo, p.

Resp. Dist. maj. Verbum movebatur
localiter secundum humanitatem, con. Se-
cundum divinitatem, neg. maj. Verbum

P. H. H.
p. 129.

286. Secundum humanitatem duntaxat localiter movebatur, ut pote, quae cum non sit ubique sicut divinitas, huc sive moveri potest de uno loco in alium.

266. Ob. ij. mo Christus homo est ubique. Ergo et humanitas Christi est ubique.

Resp. Dist. ant. Est ubique ratione divinitatis, seu Christus ut Deus, com. ratione humanitatis, seu Christus ut homo, neg. ant. Sedulo distingui debet persona et natura: nomen istud Christus suppositum seu personam sonat: nomen vero humanitas naturam. Suppositum Christi, quia divinum, ubique est; humanitas, quia creata, ubique non est.

267.

Caput Sextum De Terminò Incarnationis

Terminus Incarnationis sumpta pro actione, per quam humana natura et divina conjunguntur in personam Verbi est compositum illud mirabile, quod Christum nuncupamus. In Christo autem praeter ea, quae superioribus quinque capitibus jam dicta sunt, possunt considerari Scientia, Sanctitas, Libertas, Meritum, Satisfactio, Subjectio, Adoptio, Praedestinatio, Dignitas Capitis, Sacerdotis, Regis, Redemptoris, Mediatoris, oratio ab eo fusa, et tandem Adoratio ipsi debita. Quae omnia hujus sexti capitis sunt argumentum.

268.

S. Primum.
De Scientia Christi creata.
Gnostici et Valentini, ex S. Irenaeo, lib. i. c. 17. fabulabantur, Christum sub serula Praeceptoris alphabetum didicisse.